DE
ASCLEPIADE MYRLEANO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

BRUNO ALBINUS MUELLER

DRESDENSIS.

LIPSIAE MCMIII.

HALLBERG ET BUECHTING

TYPIS EXPRESSERUNT.

RETTULERUNT AD ORDINIS PHILOLOGOS
WACHSMUTH et MARX
LIPSIAE DIE XXIII. MENSIS JUNII A. MCMIII.

PROCANCELLARIO BIRCH-HIRSCHFELD.

CVRTIO · WACHSMUTH · OTTONI · IMMISCH
FRANCISCO · STVDNICZKA

GRATO · ANIMO
HAS · STVDIORVM · PRIMITIAS
OBTVLIT

AVCTOR.

Ex eis grammaticis, qui post Aristarchum et Cratetem fuerunt, Asclepiades Myrleanus incuria saeculorum uel maxime oppressus est. Nam cum et apud aequales magna auctoritate floruisset et a posterioribus, quamquam magis grammaticorum principes quam discipulos eorum secuti sunt, hic illic laudatus esset, strage litterarum antiquarum sub finem imperii Romani facta memoria eius paene oblitterata est. Tum a diuturna obliuione et silentio Uossius de historicis Graecis p. 158. 161. 187 edit. Westermannianae, Ionsius de scriptoribus historiae philosophiae p. 198. 247/9 ed. a. 1716 emissae, Holstenius et Pinedo ad Stephanum Byzantium u. *Μύρλεια* et *Νίκαια* laudem eius uindicauerunt. Postea ex recentioribus grammaticis Werfer Acta philol. Monac. II p. 547 sq. cum copiosius de Asclepiadis ageret, nonnulla de eo disseruit; Lehrs Analecta grammatica p. 428 sq. totam dissertationem de uita et scriptis eius composuit; Carolus Mueller FHG III p. 298 sq. quaestionem retractauit et fragmenta historica collegit. Nuperrime Susemihl 'Gesch. d. griech. Litt. i. d. Alexandrinerz.' II p. 15/19 et Wentzel apud Wissowam II p. 1628/31 breuiter de eo egerunt. Qui quamuis docte et eleganter scripserint, tamen non omnia exsecuti esse mihi uidentur, quae aliqua cum probabilitatis specie statui possunt; iterum igitur ad partes uocatur grammaticus.

Atque de u i t a quidem Asclepiadis paucissima constant. Grauissimum testimonium ipsius dissertationi de poculo Nestoreo compositae debetur, in qua nouissimos auctores Dionysium Thracem, qui sub initium primi a. Chr. n. saeculi in urbe Rhodo litteras docuit,[1]) et Promathidam rerum Heracleoticarum scriptorem et, si

[1]) V. Susemihlium l. s. II p. 169.

Athenaei locum recte sanauimus, iamborum poetam,[2]) qui eodem fere tempore atque Dionysius Thrax et ante Alexandrum Polyhistorem floruit, citat: *Διονύσιος δὲ ὁ Θρᾷξ ἐν Ῥόδῳ λέγεται τὴν Νεστορίδα κατασκευάσαι τῶν μαθητῶν αὐτῷ συνενεγκάντων τἀργύριον, ὅπερ Προμαθίδας ὁ Ἡρακλεώτης ἐξηγούμενός φησιν κτλ.* (Athen. XI 489 a/b). Primarium quoque locum sibi uindicat Strabonis testimonium III p. 157 C.: *καὶ Ἀσκληπιάδης ὁ Μυρλεανὸς ἀνὴρ ἐν τῇ Τουρδητανίᾳ παιδεύσας τὰ γραμματικὰ καὶ περιήγησίν τινα τῶν ἐθνῶν ἐκδεδωκὼς τῶν ταύτῃ.* Neque uero tolerari posse uidetur, quod primum Werfer, postea Lehrs et Meineke et nuperrime Ed. Stemplinger 'Strabos litterarhist. Notizen' p. 45 apud Strabonem XII p. 566 C.[3]) Asclepiadis Myrleani nomen foedo librariorum errore omissum et coniectura supplendum esse censuerunt, cum locus recte traditus sit; nam Strabo in ciuium praeclarorum indicibus, quos descriptionibus singulorum oppidorum addidit, saepissime uiros illustres atque etiam auctores suos omisit, quamquam ceteris locis semper fere adnotauit, qua ex urbe quisque ortus sit.[4]) Denique accedunt tria testimonia, quae artiore quodam uinculo inter se cohaerent:

Suidas u. *Ἀσκληπιάδης* = Hesychii Miles. onomatol. p. 32,16 sq. Fl.: *Ἀσκληπιάδης Διοτίμου Μυρλεανός (πόλις δέ ἐστι Βιθυνίας, ἡ νῦν Ἀπάμεια καλουμένη*[5]), *τὸ δὲ ἄνωθεν γένος ἦν Νικαεύς, γραμματικός, μαθητὴς Ἀπολλωνίου. Γέγονε δὲ ἐπὶ τοῦ Ἀττάλου καὶ Εὐμένους*

---

[2]) Quae apud Athenaeum VII 296 b (fr. 6 M.) leguntur '*Προμαθίδας ἐν ἡμιάμβοις*', corrupta sint necesse est, quoniam hemiamborum nomen ante infimam aetatem Byzantinam ignotum fuisse F. Hanssen Commentat. Ribbeckian. p. 190,4 demonstrauit. Fortasse legendum est '*Προμαθιδας ἐν τοῖς ἰάμβοις*', quae libri inscriptio apud Athenaeum III 75 f, VII 324 a, IX 370 b, X 445 b, XII 554 c tradita est.

[3]) *Ἄνδρες δ' ἀξιόλογοι κατὰ παιδείαν γεγόνασιν ἐν τῇ Βιθυνίᾳ Ξενοκράτης τε ὁ φιλόσοφος καὶ Διονύσιος ὁ διαλεκτικὸς καὶ Ἵππαρχος καὶ οἱ παῖδες αὐτοῦ μαθηματικοί, Κλεοχάρης* (Ruhnken ad Rutil. Lup. p. 5, *Κλεοφάνης* libri) *τε ῥήτωρ ὁ Μυρλεανὸς Ἀσκληπιάδης τε ἰατρὸς ὁ Προυσιεύς.*

[4]) cfr. Stemplingerum l. s. p. 70/3.

[5]) Ex hoc loco Ligorii falsarii praeclari inscriptionem, quae invenitur apud Kaibelium IGSI. * 167: *Ἀσκληπιά/δης/ Διοτίμου/Ἀπαμαος*, fluxisse obiter adnotaverim.

τῶν ἐν Περγάμῳ βασιλέων. Ἔγραψε φιλοσόφων βιβλίων διορθωτικά. Ἐπαίδευσε δὲ καὶ εἰς Ῥώμην ἐπὶ Πομπηίου τοῦ μεγάλου καὶ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐπὶ τοῦ δ' Πτολεμαίου νέος διέτριψεν. Ἔγραψε πολλά.

Stephan. Byzant. u. *Μύρλεια* p. 463,20 Mein.: ὁ πολίτης Μυρλεανός, ὡς Ἀσκληπιάδης Μυρλεανὸς ἀναγράφεται.

Stephan. Byzant. u. *Νίκαια* p. 475,2 Mein.: ἐξ αὐτῆς Ἰσίγονος καὶ Ἀσκληπιάδης καὶ Παρθένιος καὶ Ἀπολλωνίδης (Nauck, Ἀπολλόδωρος codd.) καὶ Ἐπιθέρσης γραμματικὸς γράψας περὶ λέξεων ἀττικῶν καὶ κωμικῶν καὶ τραγικῶν. Suidae uitas ex Hesychii Milesii onomatologo eumque potissimum ex Philonis Byblii περὶ πόλεων καὶ οὓς ἑκάστη αὐτῶν ἐνδόξους ἤνεγκεν opere pendere post Wachsmuthii,[6]) Rohdii,[7]) Daubii[8]) curas Suidianas constat. Atque quae ex Stephani lexico exscripsimus, eodem modo ad Hesychium referenda esse nuperrime G. Wentzel Herm. XXXIII p. 275/312 demonstrauit. Uni eidemque igitur auctori haec tria testimonia debentur. Sed ualde dolendum est, quod Suidae glossa et epitomatoris inscitia et librariorum incuria foede perturbata est atque uiri docti[9]) adhuc quaestiones inde ortas magis tractauisse et deliberauisse quam explicauisse et ad finem perduxisse mihi uidentur, quos secutus Wentzel eam ad uitam describendam adhiberi posse negauit. Sed fortasse nobis fortunam tentantibus continget, ut ad meliora perueniamus.

Ac primum quidem uerba inde ab initio tantummodo usque ad διορθωτικά plane procedere et optime cohaerere facile cognoscitur. Duos igitur grammaticos Asclepiadis nomine in unum temere conflatos esse iamdudum a uiris doctis intellectum est.[10]) Quorum prior, si temporis notam verbis καὶ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ — διέ-

---

[6]) Symb. philol. Bonn. p. 135.

[7]) Mus. Rh. XXXIV p. 561 sq. = Kl. Schr. I p. 365 sq.

[8]) Suppl. annal. Fleckeisen. XI. p. 431 sq.

[9]) Praeter auctores a Wentzelio allatos cfr. H. Brunsium Quaestiones Asclepiadeae de uinorum diuersis generibus. 1884. p. 43.

[10]) Cfr. Lehrsium l. s. p. 429, Wachsmuthium de Cratete Mallota p. 6,4, Rohdium mus. Rh. XXXIII p. 173,4 = Kl. Schr. I p. 128,3.

τριψεν exhibitam nunc neglegere licet, Attalo et Eumene i. e. Attalo I. et Eumene II. regibus[11]) floruit et, ut ita dicam, analecta critica ad opera philosophica scripsit,[12]) posterior Romae Pompei aetate litteras docuit. Verba *Ἀπολλωνίου μαθητής*, quae initio glossae leguntur, Flach mus. Rhen. XXXV p. 207,2 priori Asclepiadi uindicauit, cum eius magistrum Apollonium Rhodium, id quod egregie ad temporum rationem quadrat, esse censeret, quae coniectura uel ideo maxime commendatur, quod Apollonius quisquam uel parum illustris, qui quidem magister posterioris Asclepiadis cogitari possit, inueniri non potest. Quae ante *γραμματικός*, quod in utrumque cadit, inde ab initio usque ad *Νικαεύς* leguntur, quamquam integra esse uidentur, tamen certissima confusionis ab Hesychii epitomatore factae[13]) uestigia praebent; duos enim Asclepiadas in unum ita conflauit, ut Myrleam ipsius, Nicaeam gentis patriam esse statueret. Quod A. Daub l. s. p. 457, 47 minime debebat neglegere ad Parthenii breviarii amatorii auctoris vitam relegans, qui Suidae *Νικαεὺς ἢ Μυρλεανός* est, cum ad Ascanium lacum i. e. Nicaeae natus Myrleanus ciuis factus sit.[14])

Quibus absolutis redeamus ad verba *καὶ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐπὶ τοῦ δ' Πτολεμαίου νέος διέτριψεν*. Quae ne minimum quidem ad posteriorem Asclepiadem quadrare in propatulo est neque ea in priorem cadere aut hoc loco ab epitomatore glossae falso addita esse ea de causa suspicari licet, quia, quantum uidi, Hesychius Ptolemaeo Lagi filio excepto Aegypti reges perraro numeris significavit[15]) Nota igitur *δ'* corrupta est et locus, quem

---

[11]) Cfr. Rohdium mus. Rh. XXXIV p. 571, 1 = Kl. Schr. I p. 375, 1.

[12]) Cfr. Ionsium l. s. p. 198.

[13]) Falso Rohde mus. Rh. XXXIV p. 571,1 = Kl. Schr. I p. 375,1 confusionem Hesychio ipsi attribuit, quem illos duos *ὁμωνύμους* accuratisime distinxisse ex Stephani locis sequitur.

[14]) Cfr. JGSJt. 1089 u. 2 et 12 et ea, quae Kaibel Herm. XI p. 370 de hoc titulo disputauit.

[15]) Ecce habes Ptolemaeos a Suida numeris insignitos: *Πτολεμαῖος ὁ πρῶτος* et *ὁ πέμπτος* citantur u. *Ἐρατοσθένης*, *Πτολεμαῖος ὁ ἕκτος* u. *Ἡρακλείδης Ὀξυρυγχίτης*, ubi verbis additis *ὃς τὰς πρὸς Ἀντίοχον ἔθετο συνθήκας* egregie explicatur, cur numeri ceteris locis fere semper vitati sint.

tenet, cognomine Ptolemaei alicuius textui q. u. inserto expleatur necesse est, quo regnante Asclepiades iuuenis, qui postea Romae aetate Pompei floruit, Alexandriae commorari potuit. Quae cum ita sint, nisi de Ptolemaeo VIII. Euergete II. cogitari non potest, qui ultimus in onomatologo uel commemoratur uel ad temporum definitionem adhibetur.[16] Qui rex cum hic illic a scriptoribus[17] et in duabus inscriptionibus aetatis successoris sui, quas Strack 'Die Dynastie der Ptolemaeer' p. 263 n. 132 et 134 exscripsit, *Πτολεμαῖος ὁ δεύτερος Εὐεργέτης* nominetur, legendum esse mihi uidetur *ἐπὶ τοῦ δ[ευτέρου Εὐεργέτου] Πτολεμαίου*. Scriba igitur quisquis fuit socors uocabulo *Εὐεργέτου* omisso pro *δ[εύτερος] δ'* scripsit, quod vitium alibi quoque accidisse scimus.[18] Neque mirari debemus, quod cognomen ante nomen positum est, quae uerborum collocatio illa aetate nihil insoliti habuisse uidetur.[19] Hoc modo igitur, quae continentur Suidae glossa, in duos Asclepiadas distribuenda sunt:

[Ἀσκληπιάδης]	*Ἀσκληπιάδης Διοτίμου Μυρλεανὸς (πόλις δέ εστι Βιθυνίας, ἡ νῦν Ἀπάμεια καλουμένη),*
Νικαεύς,[20] *γραμματικός, μαθητὴς Ἀπολλωνίου, γέγονε δὲ ἐπὶ τοῦ Ἀττάλου καὶ Εὐμένους τῶν ἐν Περγάμῳ βασιλέων, ἔγραψε φιλοσόφων βιβλίων διορθωτικά.*	

---

16) Cfr. Suidam u. *Πολύβιος* (v. E. Rohdium mus. Rh. XXXIII p. 218 = Kl. Schr. I p. 176) et u. *Ἀρίσταρχος*.

17) Quoniam nemo adhuc haec exempla unum in locum composuit, h. l. a me collecta adnotauerim: v. Posidonium fr. 68 ap. Strabon. II p. 98 C., Strabonem XVII p. 796 C., Exc. Lat. Barb. p. 278,15, 432,12 Fr.

18) Cfr. F. Blumium De Antonino Liberali p. 52, C. Iacobium Comm. philol. in hon. G. Curtii p. 195, H. Usenerum Relat. ord. philos.-philol. et hist. acad. litt. Bauaricae 1892. p. 582,1.

19) Cfr. Didymum ad B 111 et Suidam u. *Δημήτριος Φανοστράτου*, *Καλλίμαχος*, *Φιλίσκος Κερκυραῖος*.

20) Isigonum *ἀπίστων* scriptorem, quem Susemihl, l. s. I

ἐπαίδευσε δὲ (καὶ) εἰς Ῥώμην ἐπὶ Πομπηίου τοῦ μεγάλου καὶ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐπὶ τοῦ δ[ευτέρου Εὐεργέτου] Πτολεμαίου νέος διέτριψεν. ἔγραψε πολλά.

Quibus testimoniis quod addam schol. Parthenianum 36,[21]) quo Parthenius Arganthonae historiam ex Bithyniacis Asclepiadis hausisse dicitur, non habeo, cum post Hercherum Herm. XII p. 311 aliosque nuperrime E. Martini Mythogr. Gr. II 1 p. LIV indiculos fontium Parthenio ipsi abrogandos esse accuratissime demonstraverit.

Natus igitur est Asclepiades Myrleanus altera fere parte secundi a. Chr. n. saeculi. Iuuenis Alexandriae Ptolemaeo VIII. rege uersatus est, qui, quamquam Aristarchi discipulus ipse litteris uacabat, tamen, qua erat saevitia et crudelitate, uiros doctos ex urbe expulit atque regni gloriam deleuit. Postea Pompei aetate Romae litteras docuit et in ultima Hispania apud Turdetanos artem professus est, qui primi se ad Romanos applicauerant eorumque linguam litterasque acceperant.[22]) Neque id mirum est, quod procul a sedibus doctrinae Graecae studiorumque liberalium in terra, quae paulo ante in dicionem Romanorum redacta erat, grammatici munere functus est, cum illa aetate grammatica in prouincias penetrante nonnullos de notissimis doctoribus peregre, maxime in Gallia togata docuisse Uarro apud Suetonium de gramm. c. 3. p. 102, 6 R.[23]) memoriae mandauerit. Fuit igitur, ut aetatem eius accuratius definiamus, inde a posteriore saeculi secundi parte usque ad priorem partem saeculi primi, quo tempore Dionysius Thrax

---

p. 480/1 ante Varronem et post Antigonum Carystium fuisse exposuit, cum in Stephani indice, quo praeclarissimi Nicaeni secundum temporum seriem enumerantur, ante Asclepiadem Attali I. et Eumenis II. aequalem laudetur, priore alterius a. Chr. n. saeculi parte vel non ita multo ante floruisse ex hac glossae Suidianae parte sequitur.

[21]) Cfr. Sakolowskium Mythogr. Gr. II 1 p. XXV.

[22]) Cfr. praeter locos a Lehrsio l. s. p. 434 et posterioribus allatos Artemidorum ap. Steph. Byz. u. Ἰβηρία p. 324,15 M.

[23]) Cfr. F. Leonem 'Plautin. Forsch.' p. 28,1.

quoque, qui princeps discipulorum Aristarchi fuisse uidetur, in urbe Rhodo floruit.

Haec quidem sunt omnia, quae a scriptoribus antiquis de uita Asclepiadis commemorata inuenimus. Iam quae de eius scriptis habeamus expromenda, enarremus. Eum multa scripsisse Suidas tabula opusculorum omissa tradidit. Quae sub eius nomine feruntur, facile in duo genera discedunt, quorum prius opera complectitur, quae ad terrarum rerumque gestarum descriptionem pertinent, posterius libros, quibus poetas ut grammaticus interpretatus est et in uniuersum de arte sua egit.

Scripsit, si illius generis commentarios priore loco persequi licet, minimum decem libros *Βιϑυνιακῶν*, quibus patriam inlustrauit eiusque historiam et fabulas enarrauit. Cuius operis certis libris haec attribuuntur: 1. schol. Parthen. 36,[24]) unde Arganthonae fabulam, quae ad Cium h. e. in occidentali Bithyniae parte geritur, in primo libro tractatam esse apparet; 2. schol. Apoll. Rhod. Arg. II, 789 (fr. 2 M.), quo de Paphlagonibus, qui ab oriente Bithynis sunt proximi, in decimo libro egisse dicitur. Quibus ex locis, si aliquid certius de indole operis concludere licet, Bithyniam occidentalem in prioribus, orientalem in posterioribus libris tractatam esse aliqua ex parte est verisimile. Quae apud Athen. II p. 50d (fr. 4 M.) et apud scholiastam Apoll. Rhod. Arg. II 722 (fr. 3 M) leguntur, iamdudum eidem operi attributa sunt. Neque quae in schol. Apoll. Rhod. Arg. I 624 de Lemni Thraciaeque rebus cum Bithyniacis quam maxime coniunctis narrantur, his commentariis abroganda sunt. Quod quamquam iam Lehrs l. s. p. 434 docuit, iterum moneam necesse est, cum C. Mueller FHG III p. 299, Maass apud Susemihlium l. s. II p. 19,98, Christ 'Gesch. d. griech. Litt.' [3]p. 535, Asclepiadem quendam primum siue Myrleanum siue priorem in Apollonii Argonautica commentarios composuisse, ex quibus hoc unum fragmentum seruatum esset, suspicati sint. Neque Bethii (Quaest. Diodor. mythogr. p. 93)

[24]) Notulas Parthenii fabulis adscriptas fide dignas esse contra Urlichsium mus. Rh. XXVI p. 595 Rohde 'D. griech. Roman u. s. Vorl.' p. 123 pluribus disseruit.

opinionem amplecti possumus, qui Asclepiadem singillatim de fontibus Apollonii Rhodii quaesiuisse ex hoc scholio concludendum esse putauit. Sed ut in libro de poculo Nestoreo composito ap. Athen. XI p. 490 e Cratetis furtum quoddam sciolus grammaticus castigavit, quod animo sibi fingebat, ita h. l. in Apollonium Rhodium, qua erat pingui Minerua, inuectus est. Quibus expositis tota de Bithyniacis quaestio absoluta esset, nisi nuperrime Ed. Meyer apud Wissowam u. 'Bithynia' III p. 524 nonnulla ex eis, quae Stephanus de Bithynia tradidit, Asclepiadi deberi statuisset Neque uero ulla ethnicorum glossa eius nomen prae se fert neque Stephanus ea, quae de Bithyniae pagis, montibus, oppidis narrat, alio quodam scriptore intercedente ex eo hausisse uidetur; auctores enim rerum Bithyniacarum tantummodo Demosthenem Bithynum, Alexandrum Polyhistorem, Arrianum Nicomedensem nominat. Demosthenem Bithynum Asclepiadis Bithyniacis usum esse quominus suspicemur, uel temporum ratione impeditur neque Alexandrum aut Arrianum ea adhibuisse certis argumentis ex Stephani lexico, quod nunc habemus, ductis demonstrari potest. Sed cum in Stephani fontibus inuestigandis admodum facili expeditaque via procedere liceat, Alexandro Demosthenis Bithyni opus in manibus fuisse probabiliter affirmari potest. Nam si recte tradita sunt, quae ap. Steph. u. *Χάλκεια*[25]) leguntur, Alexander Libycas res enarrans Demosthenem quendam a Polybio uituperatum commemorauit, quem C. Muellerum FHG IV. p. 384 et Susemihlium l. s. I. p. 404 secuti nostro iure nullum alium esse putare possumus nisi Bithynum,[26]) qui in patria describenda hic illic (cfr. fr. 3. 6. 8. 9 M.) ultra fines progressus est, ut non mirum sit, quod Alexander de Libya disserens eum citare potuit. Quae cum ita

---

[25]) *Χάλκεια πόλις Λιβύης. ὁ πολυίστωρ ἐν Λιβυκῶν γ', ὡς Δημοσθένης, ᾧ μεμφόμενος Πολύβιος ἐν τῷ δωδεκάτῳ ὧδε γράφει· ἀγνοεῖ δὲ μεγάλως καὶ περὶ τῶν χαλκείων. οὐδὲ γὰρ πόλις ἐστίν, ἀλλὰ χαλκουργεῖα.*

[26]) Qui num idem sit atque Stephani u. *Ὀλιζών* auctor *κτίσεων* laudatus, id quod C. Mueller et Susemihl putauerunt, haud diiudicauerim.

sint, eum in Bithyniacis quoque rebus enarrandis adhibitum esse facile colligi potest, ut, quae in ethnicis sub eius nomine feruntur, Alexandro intercedente a Stephano tradita esse censendum sit. Demosthenem enim ipsum legisse uix est existimandus, sed omnia Polyhistori uidetur debere, quo re uera se usum esse ipse dicit u. *Γεδρωσία*. Neque si quis moneret omnium fere fragmentorum ex Demosthenis opere seruatorum orationem rectam esse, cum Alexander secundum Freudenthalii argumentationem ('Alexander Polyh.' p. 15.27) plerumque oratione obliqua uteretur, facile in eius castra transirem; nam Apollonii Letopolitani fragmenta, quae recta oratione seruata sunt, primo oculorum obtutu Stephanum ipsum exscripsisse iudicabis, cum ea per Alexandrum in ethnica peruenisse recte Geffcken De Stephano Byzantio p. 39 sq. 56 demonstrauerit.

Alterum eiusdem generis opus est eius *περιήγησις τῶν τῆς Τουρδητανίας ἐθνῶν*, ex qua a Strabone, qui praeter Myrleanum in describenda Hispania Eratosthenem, Polybium, Artemidorum Ephesium, Posidonium nominatim affert, duo fragmenta seruata sunt. Quorum prius (Strabo III p. 157 C. = frg. 5 M.) haec continet: *Μετὰ ταύτην* (scil. *Μάλακαν καὶ τὴν τῶν Ἐξιτανῶν πόλιν*) *Ἄβδηρα Φοινίκων κτίσμα καὶ αὐτή. Ὑπὲρ δὲ τῶν τόπων ἐν τῇ ὀρεινῇ δείκνυται Ὀδύσσεια καὶ τὸ ἱερὸν τῆς Ἀθηνᾶς ἐν αὐτῇ, ὡς Ποσειδώνιός τε εἴρηκε καὶ Ἀρτεμίδωρος καὶ Ἀσκληπιάδης ὁ Μυρλεανός, ἀνὴρ ἐν τῇ Τουρδητανίᾳ παιδεύσας τὰ γραμματικὰ καὶ περιήγησίν τινα τῶν ἐθνῶν ἐκδεδωκὼς τῶν ταύτῃ* (Xylander, *ταύτης* codd.). *Οὗτος δέ φησιν ὑπομνήματα τῆς πλάνης τῆς Ὀδυσσέως ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἀθηνᾶς ἀσπίδας προσπεπατταλεῦσθαι καὶ ἀκροστόλια, ἐν Καλλαϊκοῖς δὲ τῶν μετὰ Τεύκρου στρατευσάντων τινὰς οἰκῆσαι καὶ ὑπάρξαι πόλεις αὐτόθι, τὴν μὲν καλουμένην Ἕλληνας* (correxi, *Ἕλληνες* codd.) *τὴν δὲ Ἀμφιλόχους* (correxi, *Ἀμφίλοχοι* codd.) *ὡς καὶ τοῦ Ἀμφιλόχου τελευτήσαντος δεῦρο καὶ τῶν συνόντων πλανηθέντων μέχρι τῆς μεσογαίας. Καὶ τῶν μεθ' Ἡρακλέους δέ τινας καὶ τῶν ἀπὸ Μεσσήνης ἱστορῆσθαί φησιν ἐποικῆσαι τὴν Ἰβηρίαν, τῆς δὲ Κανταβρίας μέρος τι κατασχεῖν Λάκωνας καὶ οὗτός φησι καὶ ἄλλοι. Ἐνταῦθα δὲ καὶ* †*Ὠψικέλλαν* (codd.,

Ὠκέλλαν Siebenkees, Ὠκέλαν vel Ὀκέλαν C. Mueller, Ὀκέλλαν maluerim) πόλιν Ὀκέλα κτίσμα (ὁ καὶ λ'κτισμα A C l, Ὠκέλλα κτίσμα margo cod. o, fortasse Ὀκέλλα κτ.[27]) λέγουσι τοῦ μετ' Ἀντήνορος καὶ τῶν παίδων αὐτοῦ διαβ'ντος εἰς τὴν Ἰταλίαν. Quae initio inde a uerbis μετ' ταύτην usque ad Ἀθην ς ἐν αὐτῇ leguntur, sententia cum Asclepiadis fragmento consentire, verbis Posidonio uel Artemidoro deberi Zimmermann Diss. Hal. V. p. 354 inde effecit, quod Asclepiadem ut Ἕλληνας et Ἀμφιλόχους, ita Ὀδυσσεῖς, quae nominis forma ap. Steph. s. h. u. inuenitur, non Ὀδύσσειαν scripsisse uerisimile est. Quae inde ab ὑπομνήματα usque ad Ἰταλίαν sequuntur, cum C. Muellero et Gualtero Rugio Quaestiones Strabonianae p. 104 contra Lehrsium l. s. p. 435, qui hoc fragmentum tantummodo usque ad uerba καὶ οὗτός φησι καὶ ἄλλοι pertinere censuit, Asclepiadi adsignanda esse duco. Nunc accedamus ad alterum fragmentum (Strabo III p. 166 C. = fr. 6 M.), quo de originibus Hispaniae agitur: Επεὶ καὶ Ἰβηρίαν ὑπὸ μὲν τῶν προτέρων καλεῖσθαι [φασιν add. Grosskurd] πᾶσαν τὴν ἔξω τοῦ Ῥοδανοῦ καὶ τοῦ ἰσθμοῦ τοῦ ὑπ' τῶν Γαλατικῶν κ'λπων σφιγγομένου, οἱ δὲ νῦν ὅριον αὐτῆς τίθενται τὴν Πυρήνην, συνωνύμως τε αὐτὴν Ἰβηρίαν λέγουσιν καὶ Ἱσπανίαν. [οἱ δ' Ἰβηρίαν uel ἔνιοι δὲ των προτέρων Ἰβηρίαν uel τινὲς δὲ Ἰβηρίαν suppleu. edd.] μόνην ἐκάλουν τὴν ἐκτὸς (F. Atenstaedt Studia Lips. XIV p. 128, ἐντὸς codd.) τοῦ Ἴβηρος· οἱ δ' ἔτι πρ'τερον αὐτοὺς τούτους Ἰγλῆτας οὐ πολλὴν χῶραν νεμομένους, ὥς φησιν Ἀσκληπιάδης ὁ Μυρλεανός. Ῥωμαῖοι δὲ τὴν σύμπασαν καλέσαντες συνωνύμως (Meineke, ὁμωνύμως codd.) Ἰβηρίαν τε καὶ Ἱσπανίαν τὸ μὲν αὐτῆς μέρος εἶπον τὴν ἐκτός, τὸ δὲ ἕτερον τὴν ἐντός· ἄλλοτε δ' ἄλλως διαιροῦσι πρὸς καιροὺς πολιτευόμενοι. Huius loci si uerba tantummodo spectas, Asclepiades Igletum fines non longe propagatos esse dixit. Sed eum eadem fere atque Strabonem exposuisse necesse est. Quibus concessis, ut fragmenti indolem et uim cognoscamus,

---

[27]) Ad hanc quoque uocem, quae de orthographia nominis Ὄκελλος Praechter Philol. LXI p. 266,3 pluribus exposuit, pertinere censeo.

totum locum quam accuratissime interpretari opus est, qua in re inprimis sagaci dilucidaque argumentatione Atenstaedtii l. s. p. 121 sq. utimur: πϱοτέϱοις scriptoribus, qui initio loci commemorantur, oppositi sunt οἱ νῦν, ἄλλοις, qui solam terram intra Iberum amnem sitam Iberiam nominauerunt, οἱ ἔτι πϱότεϱον, qui Igletes commemorauerunt. Hi Strabonis uel potius Asclepiadis Igletes secundum C. Muellerum ad Ptolemaeum p. 192 adn., qui in eo tantummodo errat, quod Igletes atque posteriores Ilergetes unam eandemque gentem fuisse arbitratus est, eidem fuerunt atque Gletes, quos Herodorus frg. 29 M. inter Cynetes et Tartessios oceanum accoluisse tradidit, et Tletes, qui Theopompo frg. 242 M. finitimi Tartessiorum sunt, et Ileates, qui secundum Auieni periplum[28]) us. 302 inter Tartessios et Cempsos habitavere, quibus ex testimoniis eos circa quartum a. Chr. n. saeculum in meridiana Hispaniae parte sedes habuisse sequitur Atque cum Iberum amnem Auieni (us. 248) ab oriente Tartessios continentem nullum alium nisi Urium Romanorum esse, quem hodie uocant Tinto, Muellenhoff 'Dtsche. Altert.-Kde' I² p. 119 demonstrasset, quem Unger. Philol. suppl. IV p. 211, Hansen Ephem. philol. Brem. IV p. 1427, Sonny De Massiliensium rebus p. 37 secuti sunt, Strabonis loco errorem inde ortum subesse, quod meridionalis ille Iberus cum septemtrionali confusus esset, primum dubitanter Hansen l. s. s. suspicatus est, postea Atenstaedt l. s. p. 127/8 diligentissime demonstrauit. Qui ex hac argumentatione profectus, cum Auieni de Ibero locus cum Strabonis verbis traditis τὴν ἐντὸς τοῦ Ἴβηϱος omnino non consentiret, legendum esse τὴν ἐκτὸς τοῦ Ἴβηϱος censuit, quae coniectura uel inde commendatur, quod Strabo in ripis Anae uicini fluminis significandis eandem rationem secutus est.[29]) Origines igitur Hispaniae hoc quoque fragmento, ut ex disputatione diffusa fructum capiamus, Asclepiades tractauit atque doctrina illa usus, quam auctores quarti saeculi exhibent, de gente meri-

[28]) Hanc peripli partem auctori prioris fere partis saeculi quarti deberi nuperrime demonstrauit F. Marx mus. Rh. L. p. 321—347.

[29]) Cfr. l. III. p. 139. 141 C.

dionalis Hispaniae egit. Praeter haec fragmenta Gualt. Ruge l. s. p. 30 sq. alium quoque locum Strabonis III p. 139 C.,[30]) quo de litteris atque cultura Turdetanorum agitur, Zimmermanni opinione, qui priorem partem inde a uerbis *σοφώτατοι* usque ad *οἱ ἄλλοι* Polybio, posteriorem Artemidoro nixus eius frgm. 22 M. falso adsignauerat, recte refutata Asclepiadi attribuit, cum maximam partem et quae huic loco exscripto antecedunt et quae sequuntur, probabiliter ad Posidonium primarium Strabonis in Hispania describenda auctorem ipse rettulerit. Contra Wachsmuth apud Rugium l. s. p. 43, quae a Strabone III 3, 6—8 p. 154/6 C. de gentibus Hispaniae occidentalis earumque moribus narrantur, ex Asclepiadis libro sumpta esse magna cum verisimilitudinis specie docuit. Nam quae inde a uerbis *τοὺς δ'οὖν Λυσιτανούς* usque ad *φιλάνθρωπον* leguntur, uni eidemque auctori, qui post Brutum Callaicum i. e. post Polybium rerum ab eo gestarum auctorem fuit,[31]) deberi facile intelleges. Neque haec Posidonii esse, qui a Diodoro V 33.34 adhibitus est, Muellenhoff l. s. II p. 311 comprobauit. Deinde quod tribus locis Graecorum et Lusitanorum mores inter se collocarentur, Ruge Strabonem Graecum quendam sequi existimauit, quem Asclepiadem esse Wachsmuth ei persuasit. Quam coniecturam me alio argumento firmare posse ualde gaudeo. Quinquiens enim in hac brevi libri parte populorum aliorum mores (ter Graccorum, semel Assyriorum, semel Celtarum) cum Lusitanorum componuntur, quae populorum collocatio tam raro apud Strabonem, quantum uideo, inuenitur, ut eius uerba certam propriamque ingenii indolem scriptoris cuiusdam redolere facile concludas,

---

[30]) *Καλοῦσι δ' ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ (τήν γῆν) Βαιτικήν, ἀπὸ δὲ τῶν ἐνοικούντων Τουρδητανίαν, τοὺς δ' ἐνοικοῦντας Τουρδητανούς τε καὶ Τουρδούλους προσαγορεύουσιν, οἱ μὲν τοὺς αὐτοὺς νομίζοντες, οἱ δ' ἑτέρους· ὧν ἐστι και Πολύβιος συνοίκους φήσας τοῖς Τουρδητανοῖς πρὸς ἄρκτον τοὺς Τουρδούλους· νυνὶ δ' ἐν αὐτοῖς οὐδεὶς φαίνεται διορισμός.* (Quae sequuntur, Ruge Asclepiadi adsignauit) *Σοφώτατοι δ' ἐξετάζονται τῶν Ἰβήρων οὗτοι καὶ γραμματικῇ χρῶνται καὶ τῆς παλαιᾶς μνήμης ἔχουσι συγγράμματα καὶ ποιήματα καὶ νόμους ἐμμέτρους ἑξακισχιλίων ἐτῶν, ὥς φασι· καὶ οἱ ἄλλοι δ' Ἴβηρες χρῶνται γραμματικῇ οὐ μιᾷ οὐδὲ γὰρ γλώττῃ μιᾷ.*

[31]) Cfr. Rugium l. s. s.

quam neque Polybii neque Artemidori esse ex reliquiis operum eorum seruatis sequitur. Neque Posidonium in describendis populis ad morum comparationem tam saepe quam Strabonis auctorem recurrisse ex eius fragmentis intellexeris. Eius igitur in hoc libro auctores si percenses, nemo superest nisi Asclepiades, qui ap. Athen. XI p. 501 d, ubi de fundis paterarum agitur, Massiliensium mores commemorauit. Neque inde, quod in periegesi Turdetaniae de populis extra Turdetaniam habitantibus agi statuimus, quidquam contra nostram conclusionem efficias, cum eorum mores brevissime tractatos esse vel inde colligas, quod in descriptione populorum Lusitaniae obiter Bastetani, quae gens in Turdetania ad Gades sedes habuit, commemorantur, ut hanc finitimarum gentium descriptionem contractam operis addidamentum uel breuem a proposito digressionem esse tuo iure conicias.

Jam ad ea scripta eius accedamus, quibus uel poetarum opera interpretatus est uel quaestiones, quae ex eorum libris subnascebantur et artiore quodam uinculo cum litteris coniunctae erant, uberius tractauit. Atque saeculi sui morem secutus doctrinae litterarumque studia inprimis ad Homerum τὸν ποιητήν rettulit et commentarios in Iliadem[32]) et in Odysseam[33]) scripsit, quos, cum in dissertatione de Nestoris poculo composita ap. Athen. XI p. 493 a de Machaone non uulnerato obiter ageret, se editurum esse pollicitus esse mihi uidetur. Quae ex eis supersunt, Lehrs l. s. p. 442/3 collegit, nisi quod neminem adhuc fore spero, qui, quae apud Eustathium ad Λ 521 p. 1697, 50 sq. de monitoribus heroum quorundam docte enarrasse dicitur, ei re uera tribuat, quoniam haec omnia ex Ptolemaei Hephaestionis filii historia noua praestigiarum plenissima fluxisse Hercher annal. Fleckeisen suppl. I p. 288 argumentatione sagacissima demonstrauit. Quibus in studiis quomodo uersatus sit, propter fragmentorum inopiam non satis elucet. Hoc uidemus eum de significatione uocabuli ἅμα (ap. Ammon.

[32]) Cfr. etym. m. p. 160, 4.

[33]) Cfr. etym, m. p. 146, 13 et La Rochium 'Hom. Textkrit. im Altert.' p. 57, 94.

u. ἅμα p. 14 U.) contra grammaticos, qui Homericae linguae libertatem nimis angustis finibus limitatam esse uoluerunt, prudenter et sincere disputasse et in origine nominum Ἀρναῖος (u. et. m. p. 146, 13) et Ἀστυάναξ (u. et. m. p. 160, 14) antiquam illam rationem etymologicam strenue obseruasse, quae a stoicis potissimum exculta posteaque a grammaticis, ut a Cratete, inprimis ad ficta (i. e. πεποιημένα) uerba interpretanda adhibita est. Denique quibus explicandi artificiis Machaonem secundum Homerum non uulneratum esse docuerit, cum eum sagitta percussum esse hic Λ 505, 649, 663 disertis uerbis tradiderit, minime perspicuum est. Quam quaestionem a grammaticis antiquis ita dissolutam esse ex scholiis ad Λ 624 et ad Π 25 adscriptis apparet, ut alii Machaonem uulneratum esse negarent, quod nihil de telo exstirpato aut de uulnere curato narraretur, et uersum Λ 663 obelo insignirent (schol. T Λ 624, schol. B T Π 25, Eustath. ad Λ 637 p. 872, 25),[34]) alii illud ἰῷ τριγλώχινι βαλών quod est in us. Λ 507, de leui quodam uulnere acciperent (schol. B T Λ 624; Eustath. ad Λ 637 p. 872, 27). Quae cum ita sint, minime Lehrsium l. s. p 442 secutus sim, qui Asclepiadem his assensum esse statuit, sed siquidem ex scholiorum colluuie, quam nunc habemus, aliquid certius effici potest, eum illorum sententiam amplexum esse sumpserim.

Praeterea singularem quoque quaestionem Homericam tractauit, cum, ut illa aetate Demetrius Scepsius περὶ τοῦ Τρωικοῦ διακόσμου et Ptolemaeus Pindarion eius aequalis de Iliadis libro, qui Ὁπλοποιΐα inscribitur (schol. A E 136), περὶ τοῦ παρ' Ὁμήρῳ Οὔτιδος (Suidas), περὶ Ἀστεροπαίου τοῦ παρ' Ὁμήρῳ (Suidas), et alii de aliis rebus singiliatim scripserunt, peculiari commentatione de poculo Nestoris apud Homerum Λ 632—637 descripto disseruit, quod ante eum Aristarchus, Dionysius Thrax, qui magistri pediseqquus fuisse uidetur,[35]) Apelles caelator non frustra describere conati erant. Quo in libro percensendo Lehrs l. s. p. 439/42, Helbig l. s. p. 371/8, Boll

[34]) Quomodo us. Λ 505, 649 tractauerint, iam non constat.
[35]) Cfr. Helbigium 'Hom. Epos'² p. 373.

'Sphaira' p. 543/4 mihi ita summum de lacte intercepisse uidentur, ut nihil fere noui inueniendum ant statuendum mihi reliquerint. Tamen uela pandamus; fortasse uentus nobis afflabit. Ut quaestionem, quam dissoluendam sibi proposuerat, prorsus ad finem perduceret, uniuerse singula poculorum genera, antequam ad Nestoris poculum transiret, breuiter pertractasse uidetur, qua ex parte apud Athenaeum, cui soli ampla fragmentorum huius libri copia debetur, haec inscriptione περὶ τῆς Νεστορίδος addita exstant: XI 477 b/d,[36]) 498f/499b de σκύφει et κισσυβίῳ, quod fragmentum usque ad Stesichori uersus pertinere, cum, quae exponuntur, uerbis et antecedentibus et sequentibus quam maxime opposita sint, propter Kaibelium edit. Athen. vol. III p. 529 monuerim, 501 b/d usque ad u. ἐπὶ πρόσωπον, 501e de pateris, ubi Kaibel περὶ [τῆς Νεστορίδος· αἱ φιάλαι ὑπὸ] Κρατίνου κτἕ optime suppleuit, 503e de ooscyphio. Neque huic commentationi Athenaei loci abrogandi sunt, qui solum auctoris nomen libri titulo omisso prae se ferunt: XI 783a/b usque ad u. ἦν ἀμφίκυρτον de ἀλείσῳ et δέπᾳ, 474f/475a usque ad u. ἠλακάτῃ de carchesio.[37]) Hanc primam partem a singulari disputatione de Nestoris poculo instituta exceptam esse verisimile est, qua singulas peinceps quaestiones, quae in uersibus Homericis illis dnsunt, proposuit et percensuit,[38]) etiamsi postea in argu- imentorum enarratione et locorum tractatione paululum vagatus est et a consilio suo ad alia aberravit. Atque in uniuersum, ut illud poculum praeclarissimum cogitatione sibi fingeret, magis noua quam recta attulit. Unum enim fundum[39]) (sic πυθμήν interpretatus est,

[36]) Ea, quae de Callimacho p. 477c et de origine uerbi κισσύβιον usque ad u. κισσίνου ξύλου exponuntur, adeo cum Asclepiadis loco ad uerbum exscripto, qui antecedit, cohaerere mihi videntur, ut ab eo repetenda sint.

[37]) Ex Athenaeo sua sumpserunt Macrobius V 21 et Eustathius ad Λ 633 p. 869, 1 sq.

[38]) Eodem fere modo, ut exemplo inlustri utar, Aristarchi περὶ Πυλαιμένους commentatio, quam A. Schimberg Analecta Aristarchea p. 29/36 egregie ex scholiis Homericis restituit, disposita et ad finem perducta est.

[39]) Quod Helbig l. s. p. 372 scripsit secundum Asclepiadem

quanquam ante eum Aristarchus[40]) rectius de hoc vocabulo Homerica consuetudine bene obseruata disseruerat) poculo fuisse statuit, qui duabus πελειάσιν uel Πλειάσιν inniteretur; deinde capitula clauorum, qui aliis interpretibus extrinsecus poculo infixi uidebantur (cfr. Athen. p. 488b/c) uasis uentre aureo aliquid hic illic scalpro super reliquam superficiem expresso instar uasum quorundam Corinthiacorum secundum Apellem caelatorem effecta esse, qui praeterea docuisset utrique lateri ansam fuisse, quae ubi et a ventre et a latere distaret, in binos baculos diffissa esset, ut quattuor ausae illae Homeri exsisterent;[41]) labrum autem ita πελειάσιν stellatis i. e. siue uirginibus siue auibus (cfr. p. 491d) ornatum esse, ut binae ad ausam utramque essent, quibus, si duae illae sub fundo positae, quas supra commemorauimus, adderentur, numerus sex Pleiadum, quas in caelo uideri Aratus Phaenom. us. 257 docuisset, euaderet. Denique ultimum horum uersuum ζήτημα dissoluere ausus, quod ante eum praecipue Aristoteles (schol. cod. Paris 2679 ad Λ 637 ap. Cramerum Anecd. Gr. Paris. III p. 16), Sosibius ὁ λυτικός (Athen. p. 493e/494b), Aristarchus (schol. ΑΒΤ Λ 636) tractauerunt, aliorum peruersas interpretationes recte refutauit, sed in eis, quae ipse attulit, inepte nugatus est (v. p. 493c).

Pergo iam ad subsidia, quibus in his uersibus explicandis usus est. Ac primum quidem maxima vanitate et fatuitate nullis machinis ne allegoriae quidem nec coniecturarum periculis spretis Homero poetae simplicitatis

---

poculi fundum in duas partes dispositum esse, quarum superior ad naturalem fundum uasis spectaret, inferior totum onus sustineret, falso ea, quae p. 489a leguntur, ubi de poculorum generibus agitur, ad Myrleanum rettulisse uidetur, qui p. 492a δύο (scil. πελειάδες) ὑποπυθμένες legisse et unum uasis fundum statuisse disertis uerbis dicitur.

40) Cfr. Helbigium l. s. p. 372 sq.

41) Eiusdem generis ansis uas praeclarissimum aetatis Alexandrinae quod dicitur 'la coupe des Ptolemées' (v. Babelonium 'Catal. du cab. des camées de la bibl. nat.' t. 43 n. 368 et Furtwaenglerum 'Antike Gemmen' III p. 157/8) et poculum quoddam thesauri Bennopolitani (v. Pernicium et Winterum 'Der Hildesheimer Silberfund' t. 17, 2) instructa esse Studniczka comiter me edocuit.

pleno contortam et difficilem doctrinam astrologicam alleuit, quam aetatis illius homines in cibo ad epulas parando adornanda interdum libenter obseruasse uidentur,[42]) ut eum aequalium mores ad heroes transtulisse sumendum sit. Tantam enim similitudinem poculo et ad solida et ad umida alimenta continenda destinato docuit esse cum mundo (Athen. p. 489c/d, 492d/e),[43]) qui hominibus uictum praeberet, ut instar eius rotundum factum esset; tum capitula clauorum, quae uiderentur, ita in uasis lateribus ut in caelo stellas esse; denique *πελειάδας* sex illas nihil aliud nisi Pleiades esse, quibus, quia messem futuram indicarent, uictus hominum repraesentaretur. Quas ad hariolationes probandas multa ex magno doctrinae apparatu attulit; neque uero certis coniecturis potest definiri, utrum haec ipse collegerit et inuenerit an aliorum scrinia compilauerit. Nolo premere, quod singula argumenta et explicationes ab eo pronuntiatae alibi quoque leguntur (cfr. schol. *T Λ* 635, schol. *μ* 62, schol. Pindar. Nem. II 16), quia de horum locorum origine nihil certi constat; contra propterea in offensionem suspicionis uenit, quod locum a Cratete, qui *πελειάδας* Homeri et *Πλειάδας* easdem esse censuerat, tractatum, quo Pleiades laudantur (Pindar. Nem. II 16), ipse quoque citauit et eius nomen adnotare omisit; neque praeterea inde commendatur, quod Cratetis furtum quoddam, quem foede transscripsisse Moeronis poetriae de *πελειάσιν* Homericis sententiam inuenisse sibi uidebatur (cf. Athen. XI 490e), cum hic re uera ut grammaticus poetarum uerba interpretaretur, nulla alia causa nisi inuidia illa commotus, qua pusilli animi scriptores magistros uel aemulos perstringere solent, acerbissime castigauit. Reliquum est, ut eum prauas et ridiculas interpretationes interdum probabilibus argumentis fulsisse breuiter moneam. Nam callide et haud infacete fabulam, quae est de Orione, respiciens uocabulum *τρήρωνες*, quod ad *πελαιάδες* appositum est,

[42]) Cfr. locos a Lobeckio Aglaoph. p. 170 allatos, quibus locus Petron. sat. 35 addendus uidetur.

[43]) Eodem modo Crates clipeum Achillis mundi instar factum esse sumpsit (cfr. quae Maass Aratea p. 186 ad. schol. Arat. u. 26 adnotauit).

ad interpretationem suam quadrare docuit (Athen. p. 490d) atque recte de pronominum *ὁ* et *ὅς* (Athen. p. 493b), *ἄλλος* et *ἕτερος* (Athen. p. 493a) usu Homerico disseruit.[44] Contra cum formarum et verborum ubertatem linguae epicae minime nouisset, uocabulum *δοιός* falso intellexit et malum inde firmamentum descriptioni suae adstruxit. Praeterea poculorum genera sedulo perscrutatus est et Apellem caelatorem adiit, ut ab eo de poculi Homerici indole instrueretur. Enixe igitur operam dedit, ut quaestiones, quas sibi tractandas proposuerat, solveret; neque fortasse ipse tantopere uituperandus est, quia aliorun sobriam interpretandi rationem non flocci fecit et doctrinam suam natiuae pulchritudini Homericorum carminum inculcauit, quantopere Stoicorum Crateteorumque, quos eum secutum esse manifestum est, disciplina, quae poetas non delectare, sed prodesse uelle existimauit. Denique, ut haec iusto iure absoluamus, Asclepiadem saepissime locos ex poetarum Graecorum operibus, qui inde ab initio litterarum Graecarum usque ad tertium saeculum floruerunt, citasse adnotandum est; neque ei scriptores, qui postea fuerunt, praeter grammaticos digni fuisse videntur, qui in commentationibus grammaticis laudarentur.

Cum illa aetate poesim poetarumque tractationem atque doctrinam astrologicam quam artissime coniunctas esse nemini ignotum sit, nostro iure in ea dissertationis parte, quae est de Asclepiadis commentariis et subsidiis interpretationis grammaticae, eius *περὶ τῆς σφαίρας βαρβαρικῆς* librum percensere possumus, cuius memoriam, id quod minime sperari poterat, nuperrime a Fr. Cumontio apud Bollium l. s. p. 543/4 ex codicis Angelicani Graeci s. XIV. fol. 120u, ubi de signis orbis agitur, recuperatam esse ualde gaudeo: *Παλαισταῖς* (scil. *ἁρμόζει*) *τὰ Ἑρμαϊκά* (scil. *ζῴδια*), *μάλιστα οἱ δίδυμοί, Ἀπόλλων γὰρ καὶ Ἡρακλῆς οὗτοι. Καὶ ἐκ τῶν τῇ σελήνῃ παραβαλόντων τὸ ὅμοιον γνωσθήσεται· στεφανοφορίαις μὲν γὰρ ὁ στέφανος ἁρμόσει, ἡ δ' Ἀργὼ πλοιζωμένοις, δημοσίοις*

---

[44]) Quae cur ad Aristarchum referenda sint, id quod Lehrs l. s. p. 440 contendit, prorsus nescio.

δὲ ὁ Περσεὺς καὶ ἡ Ἀνδρομέδα, κτηναγωγοῖς οἱ ὄνοι, κυνηγοῖς ὁ λαγώς, ὁ κύων, ὁ Ὠρίων, αἰπόλοις ἡ αἴξ καὶ οἱ ἔριφοι, ἱκέταις ὁ ἐν γόνασιν, εὐωχίαις ὁ κρατήρ, ἐρασταῖς ὁ Ἀριάδνης στέφανος καὶ ἡδυπαθέσι καὶ ἀγωνισταῖς, ἱερεῦσι τὸ θυμιατήριον, οἰωνισταῖς ὁ ἀετός, ὁ κόραξ καὶ τὰ πτερὰ τῆς παρθένου, ἱππεῦσιν ὁ Κένταυρος καὶ ὁ τοξότης, ἱπποδρομίαις (Boll, ἱπποδρόμοις cod.) ὁ Πήγασος, ἡ κεφάλη τοῦ ἵππου, ἀκοντισταῖς ὁ τοξότης, ὁ οἰστός, ἡ κάλπις, μουσικοῖς ἡ λύρα, τελεταῖς θεῶν ἢ ὑπηρεσίαις οἱ Φρύγιοι αὐλοὶ καὶ τὰ κύμβαλα, δᾳδουχίαις ὁ τὰ λύχνα φέρων, γεωργοῖς τὸ ἄροτρον, ὁ στάχυς· ταῦτα δ' ἡμῖν καὶ Ἀσκληπιάδης ὁ Μυρλεανός (Μυρλιανός cod.) ἐν τῇ βαρβαρικῇ σφαίρᾳ δεδήλωκε. Τὰ δὲ ζῴδια καὶ ὁποίας ἕκαστα φύσεως τε καὶ ἐνεργείας ἐστίν, ὅ τε Τρισμέγιστος Ἑρμῆς καὶ οἱ ἀπ' ἐκείνου ἐδίδαξαν. Haec egregie ad historiam sphaerae barbaricae quadrare, cum primo a. Chr. n. saeculo sphaera barbarica et Graecanica confusae essent, et optime in Asclepiadis rationem interpretandi cadere Boll suo iure monuit et eum fortasse Manilii et Nigidii Figuli auctorem esse probabiliter suspicatus est.

A libro astrologico ad Aratum phaenomenon poetam perueniendum est, quorum uersum VII. Asclepiades quidam coniectura uexasse dicitur.[45]) Quem eundem atque Myrleanum esse Maass Herm. XIX p. 103, Aratea p. 33. 251 sumpsit, cui coniecturae inde, quod ille bis apud Athenaeum p. 479e, 490a Aratum citauit et singillatim de astrologia scripsit, nescio quid probabilitatis accedit. Neque uero, siquidem caute res geritur, cum Susemihlio l. s. II p. 20, 101 statui potest Asclepiadem totum commentarium in phaenomena conscripsisse.

Iam delapsi sumus ad eius commentarios Theocriteos.[46]) Sexiens in scholiis ad Theocritum compositis (ad I 4, 118, II 88, V 21, 94/5, 102) eius explicationes patria semel indicata (ad I 118) afferuntur, unde eundem ceteris quoque locis intellegendum esse probabiliter con-

---

[45]) Cfr. schol. Arat. phaen. 7: (Ζεὺς) λέγει δ' ὅτε βῶλος αρίστη (8) βουσί τε καὶ μακέλῃσι: οὐκ ἀροστή, ὡς Ἀσκληπιάδης· οὐ γὰρ δύναται μακέλλῃ βῶλος ἀροῦσθαι, ἀλλὰ σκάπτεσθαι.
[46]) Cfr. Ahrensium Bucolici Gr. II p. XXVII.

cludere licet. Neque omiserim commemorare adnotationes ad carmina I., II., V. antiquissimae carminum bucolicorum collectionis partem adscriptas esse, quae ante ampliorem Artemidori grammatici editionem curata est.[47]) Neque igitur habemus, quod Asclepiadem Artemidori studiis Theocriteis ad Syracosium poetam interpretandum excitatum esse Kaibelio Herm. XV p. 456 concedamus, praesertim cum Artemidorus Theonis pater aliquanto post Myrleanum floruisse putandus sit, siquidem nunc rectius de eius aetate iudicare possumus.[48]) Paucissima de indole horum commentariorum statui possunt. Bene formam *λάψομαι*, quae a *λαμβάνω* derivata litteram *α* productam habet, ratione Doricae dialecti habita a futuro uerbi *λάπτω*, quod litteram a correptam habet, distinxit (schol. I 4); contra accurata grammaticae ratione neglecta *Θύμβρις*, quod legitur in codicibus, *Δύβρις* scribendum et *κατὰ γλῶσσαν* pro *θάλασσα* dictum esse falso docuit (I 118); neque ueram significationem uerborum *ὡς ὁ Φάλαρος* perspexit; praeterea iniuria uersus V 94/5 coniectura sanare conatus est, quam, etiamsi non uera est[49]) tamen probabiliter et speciose inuentam esse inde elucet, quod Meineke et Ahrens eam in textum suum receperunt. Contra fortasse recta uel certe probabilia sunt, quae de uocabulo *θάφος* (II, 88; cfr. schol. Nic. Alexiph. 570) et de uerbis *οὐδὲν ἱερόν* (V 21) disputauit.

Sed haec opera minora, illa uero grauiora. Neque enim solum singillatim quaestiones grammaticas tractauit aut commentariis hic illic, quae de grammatica excogitauerat, recondidit seposuitque, sed etiam uniuerse de arte sua eiusque historia tractauit. Quo de opere primario quae habeam expromenda, hoc loco adnexui.

Quantum adhuc uidemus, signiferi grammaticorum aetatis Alexandrinae munus, ut singula, quae per totam uitam de artis praeceptis et dispositione inuenerant,

---

[47]) Cfr. Susemihlium l. s. I p. 219 sq.
[48]) Cfr. Susemilium l. s. II. p. 185 et Wentzelium ap. Wissowam II p. 1331.
[49]) Cfr. Kaibelium Herm. XV p. 453/4.

accuratius colligerentur, posteris reliquerunt. Ex Crateteis igitur Tauriscus primus, qui Cratetem ipse audiuerat Pergamenorum artem composuisse uidetur,[50]) cuius sententiam ad magistrum referendam esse optimo iure Wachsmuth l. s. p. 9/10 comprobauit. Aristarchi potissimum doctrinam Dionysius Thrax discipulus arte sua descripsit,[51]) atque eius liber per totam antiquitatem tanta auctoritate floruit, ut posteriorum grammaticorum artes obliuione fere omnino obruerentur neque nisi paucis fragmentis exceptis seruarentur. Neque tamen omnia earum uestigia prorsus exstincta esse nuperrime Herm. Usener Relat. ord. philos.-philol. et hist. acad. litt. Bauar. 1892 p. 582/648 summo ingenii acumine demonstrauit, cum Tyrannionis Dionysii et peripateticorum discipuli artem restitueret, quae cum et subsidia (*ὄργανα*) et officia (*μέρη*) philologiae distincta sint, multo melior quam Dionysii est, quanquam grammaticus quadripartitione omnium, quae occurrebant, notionum doctrinae suae magis nocuisse quam profuisse uidetur. Neque aliter Asclepiades Myrleanus, qui non ita multo ante Tyrannionem floruit de grammatica uniuerse egisse uidetur. Fragmenta igitur eius, quibus ars singulaeque partes inlustrantur, paucis adnotationibus adiectis infra exscripsi.

I. Sextus Emp. adu. gramm. §§ 72/4 p. 615, 10—29 B.: *Ἀσκληπιάδης τοίνυν μέμφεται τὸν Θρᾷκα Διονύσιον ἐμπειρίαν λέγοντα τὴν γραμματικήν, δι' ἣν αἰτίαν καὶ ὁ Πτολεμαῖος* (scil. *ὁ περιπατητικός* [cf. Sext. Emp. l. s. s. § 60]) *ἔφη, ἐγκαλεῖ δὲ αὐτῷ καὶ τὸ* (Bekker, *τῷ* codd.) *κατὰ τὸ πλεῖστον ἐμπειρίαν αὐτὴν ἀποφαίνειν. τοῦτο μὲν γὰρ τῶν στοχαστικῶν καὶ ὑπὸ τὴν τύχην πιπτούσων ἐστὶ τεχνῶν, ὥσπερ κυβερνητικῆς καὶ ἰατρικῆς, γραμματικὴ δὲ οὐκ ἔστι στοχαστική, ἀλλὰ μουσικῇ τε καὶ φιλοσοφίᾳ παραπλήσιος.* [73] *Εἰ μή τι δέδοικε, φησί, τὴν ὀλιγότητα τοῦ βίου ὡς οὐκ οὖσαν ἱκανὴν πρὸς τὸ πάντα περιλαβεῖν, ὅπερ ἐστὶν ἄτοπον, γραμματικοῦ, ἀλλ' οὐ γραμματικῆς ποιή-*

[50]) Cfr. Sext. Emp. adu. gramm. § 248 p. 654, 33 sq. B.
[51]) Quae Dionysius Thrax p. 23 Uhl. de orationis partibus exposuit, a Quintiliano I. O. I 4, 20 Aristarcho adscribuntur

σεται τὸν ὅρον, ἐπείπερ οὗτος μὲν τυχὸν ἴσως ἐπιστήμων ἐστὶ τῶν παρὰ ποιηταῖς τε καὶ συγγραφεῦσι λεγομένων, ὀλιγόβιον καθεστὼς ζῷον, ἡ δὲ γραμματικὴ πάντων εἴδησις.' [74]. Ὅθεν τὸ μὲν ἀλλάξας τοῦ ὅρου τούτου, τὸ δ' ἀνελὼν οὕτως ἀποδίδωσι τῆς γραμματικῆς τὴν ἔννοιαν· γραμματική ἐστι τέχνη τῶν παρὰ ποιηταῖς καὶ συγγραφεῦσι λεγομένων.

II. Sextus Emp. l. s. s. postquam inde a § 44 p. 608, 17 B. duo grammaticae genera, inferius, quod proprie *γραμματιστική* vocaretur, et superius, quod inprimis Aristophanis, Aristarchi, Cratetis studiis excultum esset, breuiter perstrinxit, Asclepiadem secutus haec de altero genere exposuit § 47/9 p. 609, 5—31 B.: *τάχα δέ, ὥς φασὶν οἱ περὶ τὸν Ἀσκληπιάδην, καὶ αὐτὴ ἀπὸ μὲν τῶν γραμμάτων ὠνόμασται, οὐκ ἀπὸ τούτων δέ, ἀφ' ὧν καὶ ἡ γραμματιστική, ἀλλ' ἐκείνη μέν, ὡς ἔφην, ἀπὸ τῶν στοιχείων, αὕτη δὲ ἀπὸ τῶν συγγραμμάτων, περὶ οἷς πονεῖται· γράμματα γὰρ καὶ ταῦτα προσηγορεύετο, καθὰ καὶ δημόσια καλοῦμεν γράμματα καὶ πολλῶν τινα γραμμάτων ἔμπειρον ὑπάρχειν φαμέν, τουτέστιν οὐ τῶν στοιχείων, ἀλλὰ τῶν συγγραμμάτων.* [48] *Καὶ Καλλίμαχος δέ ποτὲ μὲν τὸ ποίημα καλῶν γράμμα, ποτε δὲ τὸ καταλογάδην σύγγραμμα φησὶ* (ep. 6 Wil.)

Κρεωφύλου πόνος εἰμὶ δόμῳ ποτὲ θεῖον ἀοιδόν
δεξαμένου, κλείω δ' Εὔρυτον ὅσσ' ἔπαθεν
Καὶ ξανθὴν Ἰόλειαν, Ὁμήρειον δὲ καλεῦμαι
γράμμα. Κρεωφύλῳ, Ζεῦ φίλε, τοῦτο μέγα.

καὶ πάλιν (ep. 23 Wil.)

εἴπας 'ἥλιε χαῖρε' Κλεόμβροτος Ἀμπρακιώτης
ἥλατ' ἀφ' ὑψηλοῦ τείχεος εἰς Ἀίδην,
ἄξιον οὐδὲν ἰδὼν θανάτου τέλος, ἀλλὰ Πλάτωνος
ἓν τὸ περὶ ψυχῆς γράμμ' ἀναλεξάμενος.

[49] *Πλὴν διττῆς οὔσης γραμματικῆς, τῆς μὲν τὰ στοιχεῖα καὶ τὰς τούτων συμπλοκὰς διδάσκειν ἐπαγγελλομένης καὶ καθόλου τέχνης τινὸς οὔσης τοῦ γράφειν τε καὶ ἀναγινώσκειν, τῆς δὲ βαθυτέρας παρὰ ταύτην δυνάμεως οὐκ ἐν ψιλῇ γραμμάτων γνώσει κειμένης, ἀλλὰ κἂν τῷ ἐξετάζειν τήν εὕρεσιν αὐτῶν καὶ τὴν φύσιν, ἔτι δὲ τὰ ἐκ*

τούτων συνεστῶτα λόγου μέρη καὶ εἴ τι τῆς αὐτῆς ἰδέας θεωρεῖται,[52]) *προκειται κτέ.*

Uerbis *γραμματικά γ. κ.* usque ad *θεωρεῖται*, quibus uerba antecedentia confirmantur uel explicantur, doctrinam Myrleani, qui in poesi aetatis Alexandrinae quasi habitat, exhiberi tuo iure concedes, praesertim cum Sextus Empiricus praeter Timonem nullum fere poetam Alexandrinum citare soleat.

III. Sextus Emp. l. s. § 252/3 p. 655, 21—656, 5 B.: *Ἀσκληπιάδης δὲ ἐν τῷ περὶ γραμματικῆς τρία φήσας εἶναι τὰ πρῶτα τῆς γραμματικῆς μέρη, τεχνικὸν ἱστορικὸν γραμματικόν, ὅπερ ἀμφοτέρων ἐφάπτεται, φημὶ δὲ τοῦ ἱστορικοῦ καὶ τοῦ τεχνικοῦ, τριχῇ ὑποδιαιρεῖται τὸ ἱστορικόν· τῆς γὰρ ἱστορίας τὴν μέν τινα ἀληθῆ εἶναί φησι, τὴν δὲ ψευδῆ, τὴν δὲ ὡς ἀληθῆ καὶ ἀληθῆ μὲν τὴν πρακτικήν, ψευδῆ δὲ τὴν περὶ μύθους, ὡς ἀληθῆ δὲ τὴν περὶ πλάσματα, οἷα* (G. Kaibel Diss. ord. philol.-hist. soc. litt. Goett. n. s. II 4 p. 25, *ψευδῆ δὲ τ. π. πλασμ. κ. μ., ὡς ἀληθῆ δέ, οἷα* codd.) *ἐστὶν ἡ κωμῳδία καὶ οἱ μῖμοι.* [253] *Τῆς δὲ ἀληθοῦς τρία πάλιν μέρη, ἡ μὲν γάρ ἐστι τὰ περὶ πρόσωπα θεῶν καὶ ἡρώων καὶ ἀνδρῶν ἐπιφανῶν, ἡ δὲ περὶ τοὺς τόπους καὶ χρόνους, ἡ δὲ περὶ τὰς πράξεις. Τῆς δὲ ψευδοῦς, τουτέστι τῆς μυθικῆς ἓν εἶδος μόνον ὑπάρχειν λέγει τὸ γενεαλογικόν. Ὑποτάσσεσθαι δὲ τῷ ἱστορικῷ κοινῶς φησί, καθὼς καὶ Διονύσιος, τὸ περὶ τάς γλώττας· ἱστορεῖ γὰρ ὅτι κρήγυον ἀληθές ἐστιν ἢ αγαθόν,*[53]) *ὡσαύτως δὲ καὶ τὸ περὶ παροιμιῶν καὶ ἑορτῶν* (Usener l. s. p. 610, 1, *ὅρων* codd.).

IV. Scholia in Dionys. Thr. p. 183, 25 Hilg.: *Διὰ τοῦτο δὲ καὶ οὐκ ἄλλοις χαρακτῆρσι χρώμεθα τῶν στοιχείων, ἀλλὰ τοῖς Ἰωνικοῖς, ὡς μὲν Ἀσκληπιάδης ὁ Μυρλεανὸς* (Bernhardy ad Suidam u. *Ἀσκληπιάδης Δ. Μ.*, (*Σμυρναῖος* Cb) *λέγει διὰ τὸ κάλλος, καὶ ὅτι πλεῖστα τῶν συγγραμμάτων τούτοις ἐγέγραπτο τοῖς χαρακτῆρσιν,*[54]) *ὡς δὲ Διόδωρος κτλ.*

---

[52]) Eadem fere de duobus grammaticae generibus leguntur apud Philonem *περὶ τῆς πρὸς τὰ προπαιδεύματα συνόδου* I p. 540 M. et scholiastam Dionysii Thr. p. 120, 35 Hilg.

[53]) Alia huius uocabuli explicatio affertur schol. A A 106.

[54]) Similiter apud Athenaeum p. 501 c ad antiquitates Ionicas recurrit.

V. Denique in fragmentis libri Herodiani qui uidetur *περὶ ὀρθογραφίας* conscripti, quae nonnullis foliis codicis rescripti II. Tischendorfiani bibliothecae universitatis Lipsiensis seruata sunt,[55]) Asclepiades Myrleanus orthographiae studuisse dicitur; inter alios enim grammaticos, qui de orthographia disseruerunt, commemoratur fol. 22u. us. 12 sq., quem locum secundum Reitzensteinii editionem et meam codicis collationem exscripsi:

] *ἐπεὶ πρόκειται ἡμῖν*
περὶ τῆς ὀρθογραφ] *ίας διαλαβεῖν αὐτοῦ*
] *ν τὸν λόγον, παραιτη-*
τέον τοὺς ἓν ἕκαστον τ] *ούτων κομιζομένους*
καὶ ἀνωφελεῖς πα] *ρεστῶτας. ἀρκτέο[ν]*
] *κατὰ ταύτην ὅρου του*
δι] *ώρισαν, καὶ γὰρ Πτ-*
ολεμαῖος ὁ Ὀροάνδου] *καὶ Διονύσιος ὁ Θρᾷξ*
καὶ Ἀσκληπιάδης ὁ] *Μυρλεανός, ἔτι δὲ*
] *φος καὶ Πτολεμαῖ*
ος ὁ Ἀσκαλωνίτης,[56]) *ἀ*] *λλὰ μὴν καὶ Δημήτρι*
ος ὁ χλωρὸς ἐπίκλην (?)] *καὶ Ἀρχίασ ὁ διδάσκαλος*
Ἐπαφροδίτου, αὐτός] *τε ὁ Τρύφων· καὶ ὅτε*
Ἀπολλώ] *νιός τε ὁ τοῦ Ἀρχιβίου*

13. 15. 16 suppl. Reitzenstein. 19 suppleni haec argumentatus: Hunc Ptolemaeum diversum esse ab Ascalonita e scholio vs. 22 (v. Reitzensteinium l. s. p. 302) sequitur atque ante Dionysium Thracem uel eadem aetate fuerit necesse est, quoniam, quantum cognosci potest, grammatici secundum temporis seriem enumerati sunt; neminem igitur nisi Ptolemaeum Pindarionem filium Oroandis Aristarcheum inuenies, qui ab Herodiano (schol. A K 92) et a Didymo (schol. A E 136) *Πτολεμαῖος ὁ Ὀροάνδου* nominatur. 23 *Δημητρι[ος ο χλωρὸς επίκλην]* dubitanter suppleui; de aetate Demetrii Chlori v. Usenerum l. s. p. 586. 24 *Ἐπαφροδίτου* suppleui propter Suidam v. *Ἐπαφρόδιτος* (*Ἐπαφρόδιτος Χαιρ. γραμμ. Ἀρχίου*

[55]) Cfr. Reitzensteinium 'Gesch. d. griech. Etymologika' p. 299 sq. et Gardthausenium 'Katal. d. griech. Hdschr. d. Univ.-Bibl. z. Leipzig' p. 4.

[56]) Hoc testimonium grauissimum accedit tribus illis locis etym. Ged. p. 268, 47; 268, 52; 276, 14, quibus nixus Baege Diss. Hal. V p. 156 Ascalonitam peculiarem *περὶ ὀρθογραφίας* librum composuisse suspicatus erat.

του Ἀλεξανδρέως[57]) γραμματικοῦ θρεπτός, παρ' ᾧ παιδευθεὶς κτλ.), Δημητρίου, αὐτος Reitzenstein, cuius ad coniecturam non quadrat, quod hic index secundum temporis seriem dispositus est.

Non est, quod huius tabulae grammaticos singulos de orthographia libros composuisse sumamus, sed hoc tantummodo inde sequitur eos sedulo quaestionibus orthographicis operam dedisse. Neque igitur Asclepiadem peculiari dissertatione de orthographia disseruisse coniciendum est.

Sed haec de fragmentis; nunc accedamus ad artem Asclepiadis enucleandam. Fragmento III. grammaticam pancis describi eiusque partitionem pronuntiari nemo non uidet. Asclepiades igitur artem suam in partes tres diuisit: in partem proprie ad grammaticam pertinentem (*μέρος τεχνικόν*) et historicam (*μέρος ἱστορικόν*), quacum glossarum et prouerbiorum et festorum temporum i. e. trium rerum diuersarum tractatio laxiore quodam uinculo coniuncta est, atque in partem grammaticam, quae, cum officia philologi contineret, prima secundaque parte niteretur. Postea secundae partis genera afferuntur: *ἡ ἀληθὴς ἱστορία*, *ἡ ψευδὴς ἱστορία*, *ἡ ὡς ἀληθὴς ἱστορία*, quam tripartitionem a Quintiliano quoque I. O. II 4, 2 citari Kaibel l. s. p. 26, 1 docuit. Quibus ex partibus iterum *ἡ ἀληθὴς ἱστορία* tripertita est; diuiditur enim secundum tractationem personarum, temporum locorumque, rerum gestarum. Denique unum *εἶδος* historiae fabularis i. e. *τῆς ψευδοῦς ἱστορίας* est, unde nihil de partibus eius concludi potest, cum vocabulo *εἴδους*, quod uocabulo *μέρους* contrarium est, ea describantur, quae rerum summae, non partium propria sunt (cf. schol. in Dionys. Thr. p. 168, 20 H.).[58]) Asclepiadem igitur ratione et uia grammaticam eiusque partes et primas et inferiores et infimas tripertiuisse manifestum est, id quod Usenerum l. s. 591. 610 statuisse gaudeo. Ars

---

[57]) De Archia grammatico cfr. Cohnium ap. Wissowam II p. 464 n. 21.

[58]) Simili modo apud Uitruuium de archit. I 2, 2, quem architecturam certis quibusdam regulis disposuisse Usener l. s. p. 594 demonstrauit, ordinationis *εἶδος* quantitas siue *ποσότης* est: haec (i. e. ordinatio) componitur ex quantitate, quae *ποσότης* dicitur.

grammatica igitur in partes distributa est, quae re uera ipsi non apte respondent, sed propter numerum quendam, quem auctor ad suum arbitrium extrinsecus elegit, constitutae sunt. Quae cum ita essent, ternarius numerus maxime idoneus erat, qui adhiberetur, quod plurimae res facillime in triades distribui possunt. Praeterea in eo antiquitus mira quaedam sanctitas inerat, ut non solum res diuinae et humanae ueterum Graecorum et Romanorum secundum eum distinguerentur,[59] sed etiam litterati homines mentis bene sanae eo quasi ueneno tentarentur. Quod quamquam iam Usener exemplis egregie electis demonstrauit, tamen afferam Ionis triagmos, antiquissimum, quantum uideo, huius generis librum, quo omnia in triades disposita singulaeque monades descriptae sunt (cfr. Lobeckium Aglaoph. p. 385). Neque igitur mirum est, quod Asclepiades ad artem suam inlustrandam hoc fundamentum diuisionis q. u. sibi elegit. Propterea si alia illius artis fragmenta inuestigare studebimus, omnes eius partes et notiones in triades diuisas et ita comparatas esse, ut ad aetatem, qua animo conceptae et ad lucem prolatae esse putantur, quadrent et artium Dionysii Thracis et Tyrannionis rationem aliquam habeant, nobis sumendum est. Atque cum auctor ille magna apud aequales gloria usus et ars eius florentibus litterarum Graecarum temporibus composita sit, nonnullas eius reliquias hic illic indetectas in farragine doctrinae grammaticae librorum antiquorum latere nostro iure exspectare possumus. Talem fragmentorum Asclepiadeorum molem mihi Sextus Empiricus, Plutarchi sororis filius, M. Antonini aequalis[60] in libro aduersus grammaticos conscripto praebere uidetur, qui altero quoque eiusdem libri loco ternarii numeri amantissimum se praebuit.[61] Qui cum philologos insec-

[59] Cf. Usenerum mus. Rh. LVIII 1/48. 161/208. 321/62.

[60] Sic nupperrime S. Sepp 'Pyrrhon. Studien' p. 121 et Guil. Vollgraff Ephem. philol. Francogall. XXVI p. 191 sq. ad Casauboni, Gassendi aliorumque sententiam reversi, quam reiciendam esse Fabricius male posteris persuaserat, recte de Sexti aetate iudicauerunt.

[61] *Δίαιταν, χειρουργίαν, φαρμακείαν* § 95 p. 620, 6—10 medicinae partes esse dixit, quam diuisionem ad medicos sectae empiricae, qui philosophorum scepticorum disciplinam

taretur, certam artem praeceptis ordinatam atque descriptam ante oculos habere debebat. Disciplinam igitur, quam secutus est, accuratius inlustrare[62]) necesse est. Atque postquam uberius disseruit, quomodo quisque grammaticus artem suam definiuisset, ad partes explicandas transit et controuersiis de artis partitione neglectis tres partes nominat: *τὸ τεχνικόν, τὸ ἱστορικόν, τὸ ἰδιαίτερον.* Ex his propriam partem his fere verbis § 92 p. 619, 19 describit: *τεχνικὸν . . . ἐν ᾧ περι τῶν στοιχείων καὶ τῶν τοῦ λόγου μερῶν, ὀρθογραφίας τε καὶ ἑλληνισμοῦ καὶ τῶν ἀκολούθων διατάττονται.*

Postea §§ 250/1 p. 655, 7/21 Dionysii Thracis diuisionem perlustrans etymologiae et analogiae tractationem, quam is duas grammaticae partes esse iudicauerat, propriae parti adsignat. Deinde eius partes copiose adumbrans *στοιχεῖα* uel elementa, quae Stoicorum grammaticam secutus in tres partes diuidit, et syllabas, quae ex litteris uel elementis fiunt, atque uerba, quae syllabis continentur, accurate percenset.

Quae tria ut in unam quasi monadem comprehendamus, cum per se uerisimile esse uideatur, eo maxime commouemur, quod Sextus ea ipse in unum colligere uidetur, cum de orthographia tractans his feri uerbis incipiat l. s. § 168 p. 638, 13/15: *Ἀλλὰ δὴ πάλιν τὴν ἐν τούτοις τῶν γραμματικῶν ἀκρίβειαν κατανοήσαντες φέρε καὶ τῆς ἐν τῷ γράφειν αὐτῶν δυνάμεως πειραθῶμεν.*

Neque aliter Aristoteles *περὶ ποιητικῆς* c. 20 p. 1456 b 20 litteras (*στοιχεῖα*), syllabas, uerba uno uocabulo *λέξιν* nominauit. Quam monadem quomodo Sextus uel eius auctor significauerit, nondum elucet.

---

quam maxime sequebantur, referendam esse inde sequitur, quod eam Celsus I prooem. p. 2, 20 sq. Dar. exhibet (de Celso sceptico u. S. Sepp 'D. philos. Richtg. des Cornelius Celsus' p. 7) et Theodas Laodicensis (u. A. Hirschium Biogr. Lexikon d. hervorragd. Ärzte aller Ztn. u. Vlk. h. u.). ea partem sanatiuam medicinae discriptam esse statuit (u. Galeni subfig. emp. p. 41, 16 Bonnet et ad h. l. Usenerum l. s. p. 593/4.

[62]) De Sexti doctrina grammatica paucis egit Steinthral Gesch. d. Sprachwissenschaft. II² p. 185; neque uero inde fructum ullum capere licet.

Hoc tantummodo statui potest verbum λέξεως ab eo non esse adhibitum, cuius significatio temporum cursu aliquid mutata esse uidetur. Nam cum Aristoteli λέξις sermo eiusque partes essent, a grammaticis sectae Stoicae inde a Chrysippo et Diogene Babylonio uerbi uis ita angustioribus finibus circumscripta est, ut λέξις φωνῇ et λόγῳ opponeretur et uox litterata esset,[63]) quem loquendi usum Sextus § 131 p. 629, 6/9, § 251, p. 655, 20 secutus est. Iam ad orthographiam transit, cuius tres τρόπους esse statuit § 169 p. 638, 15/16: Τὴν γὰρ ὀρθογραφίαν φασὶν ἐν τρισὶ κεῖσθαι τρόποις, ποσότητι ποιότητι μερισμῷ. Denique, ut refutationem suam propriae partis grammaticae finiat (§ 175 p. 639, 31: εἰς συμπλήρωσιν τῆς πρὸς τὸ τεχνικὸν μέρος αὐτῶν ἀντιρρήσεως), § 176 p. 640, 7 exponit, quibus legibus pura incorruptaque graecitas definienda sit: Ἤδη δὲ τοῦ ἑλληνισμοῦ δύο εἰσὶ διαφοραί· ὃς μὲν γὰρ ἐστι κεχωρισμένος τῆς κοινῆς ἡμῶν συνηθείας καὶ κατὰ γραμματικὴν ἀναλογίαν δοκεῖ προκόπτειν, ὃς δὲ κατὰ τὴν ἑκάστου τῶν Ἑλλήνων συνήθειαν ἐκ παραπλασμοῦ καὶ τῆς ἐν ταῖς ὁμιλίαις παρατηρήσεως ἀναγόμενος. Quibus tertiam graecitatis normam addit § 241 p. 653, 16: Τὰ δὲ αὐτὰ λεκτέον πρὸς αὐτοὺς καὶ ὅταν δι᾽ ἐτυμολογίας κρίνειν θέλωσιν τὸν ἑλληνισμόν. Trias igitur legum in uniuersa lingua dominantium est: ἀναλογία, συνήθεια, ἐτυμολογία. Huic tripartitioni § 194 p. 643, 22 altera accedit, qua uirtutes, quibus graecitas instructa esse debet, comprehenduntur: Διόπερ εἰ καὶ ὁ ἑλληνισμὸς διὰ δύο μάλιστα προηγούμενα ἔτυχεν ἀποδοχῆς, τήν τε σαφήνειαν καὶ τὴν προσήνειαν τῶν δηλουμένων (τούτοις γὰρ ἔξωθεν κατ᾽ ἐπακολούθησιν συνέζευκται τὸ μεταφορικῶς καὶ ἐμφατικῶς καὶ κατὰ τοὺς ἄλλους τρόπους φράζειν), ζητήσομεν κτἑ. Tres igitur illae uirtutes sunt σαφήνεια, προσήνεια, τροπικὴ λέξις.[64]) Praeterea huic parti nonnulla de so-

[63]) Cfr. Diog. Laert. VII 56. 57. 192.

[64]) Consentit cum Sexto Quintilianus I. O. I 5, 1: Jam cum omnis oratio tres habeat uirtutes, ut emendata, ut dilucida, ut ornata sit, quia dicere apte, quod est praecipuum, ornatui subiciunt. J. O. I 5, 33: Remotis igitur omnibus, de quibus supra dixi, uitiis erit illa quae vocatur ὀρθοέπεια i. e.

loecismo et barbarismo adiciuntur, qui homini genuinae graecitatis studioso quam maxime uitandi erant, unde ad artem Sexti accuratius cognoscendam nihil sequitur. Quibus absolutis Sextus de parte historica disserens tripartitioni, quam Asclepiades constituerat, quam maxime obnitur [65]), nisi quod hic illic Taurisci definitionis obiter rationem habet, cui historia *τὸ περὶ τὴν προχειρότητα τῆς ἀμεθόδου ὕλης* erat (v. § 249 p. 655, 6). Neque inde, quod § 257 p. 657, 2 historia in quattuor partes diuisa est, hanc quadripartitionem ex arte Tyrannionis [66]) fluxisse, sed Asclepiadis tripartitionem adeo non materiae distribuendae aptam esse concludes, ut facillime ex ea quadripartitio fiat. Neque enim ulla alia re opus est nisi ut loci et tempora, quae Asclepiades una comprehensione complexus est, in duo genera diuidantur, ut, quam lubrica impeditaque uia grammaticus ingressus sit, cum artem tripertitam componeret, hoc loco egregie inlustrari uideas. Deinde Sextus Dionysii Thracis artem recensens historicam artis suae partem ad glossas quoque pertinere obiter adnotat § 251 p. 645, 19 B. Iam tertiam artis partem, qua philologi munera continentur, sic describit § 93/4 p. 619, 25: *Ἰδιαίτερον δὲ τὸ κατὰ τοὺς ποιητὰς καὶ συγγραφεῖς ἐπισκοποῦσι, καθ᾿ ὃ τὰ ἀσαφῶς λεγόμενα ἐξηγοῦνται, τά τε ὑγιῆ καὶ τὰ μὴ τοιαῦτα κρίνουσι, τά τε γνήσια ἀπὸ τῶν νόθων διορίζουσιν. Ἀλλ᾿ ὡς μὲν τύπῳ καὶ ὁλοσχερέστερον περιλαβεῖν, ταῦτά ἐστι τὰ τῆς γραμματικῆς μέρη·* [94] *νοητέον δὲ αὐτὰ οὐ κατ᾿ εἰλικρίνειαν, οὐδ᾿ ὡς ἄν τις εἴποι μέρη τοῦ ἀνθρώπου ψυχὴ καὶ σῶμα. ταυτὶ μὲν γὰρ ὡς ἕτερα ὄντα ἀλλήλων νοεῖται, τὸ δὲ τεχνικὸν καὶ ἱστορικὸν καὶ τὸ περὶ τὰς ποιήσεις καὶ συγγραφὰς τῆς γραμματικῆς πολλὴν ἔχει συμπλοκὴν καὶ ἀνάκρασιν πρὸς τὰ λοιπά· καὶ γὰρ ἡ τῶν ποιητῶν ἐπίσκεψις οὐ χωρὶς τοῦ τεχνικοῦ*

---

emendata cum suauitate uocum explanatio. — Emendatam orationem et *προσήνειαν* eandem uirtutem esse ex eis sequitur, quae Quintilianus I. O. X 4, 1, sq. pluribus disseruit.

[65]) Cfr. inprimis §§ 263/8 p. 658, 21—659,27.

[66]) Alterum quadripartitionis Tyrannionis testimonium, quod Usener l. s. p. 609 sq. non attulit, Ruehl mus. Rh. XXIX p. 82 vs. 27 sq. ex codice Chisiano R IV 20 publici iuris fecit.

καὶ ἱστορικοῦ γίνεται μέρους καὶ ἑκάτερον τούτων οὐ δίχα τῆς τῶν ἄλλων παραπλοκῆς συνέστηκεν. Similiter Dionysii Thracis partitionem perlustrans praelectionem, interpretationem, iudicium tertiae suae parti assignat (l. s. § 250/1 p. 655, 7—21 B). Quibus rebus constitutis quoniam Sextus in copiosa refutatione grammaticorum tertiam partem constituentium nihil ad eius indolem inlustrandam affert, cum grammaticam tantum prodesse, quantum uiri docti statuerint, neget et grammaticos res in poetarum scriptorumque libris commemoratas glossasque, quae occurrant, minime interpretari posse doceat, nunc enucleandum est, qualem Sextus uel potius eius auctor huius partis diuisionem animo sibi finxerit. Ac primum quidem priore loco, quo pars grammaticae propria expressis uerbis describitur, explanatio (*τὸ ἐξηγητικόν*), recensio (*τὸ διορθωτικόν*), iudicium librorum (*τὸ κριτικόν*) ei ita adsignantur, ut nisi ui demi non possint. Contra praelectio (*τὸ ἀναγνωστικόν*) pars huius partis nisi eo loco, quo partitio Dionysii cum partitione auctoris Sexti comparatur, non commemoratur, ut eam, quia apud Dionysium erat, diuisioni artis, quam sequebatur, a Sexto parum diligenter additam esse uerisimile esse uideatur et ea remota genuina diuisio appareat necesse sit. Quae opinio aliis quoque argumentis fulciri potest. Nam inde, quod Sextus auctorem suum secutus grammaticam inferiorem *τέχνην τοῦ γράφειν τε καὶ ἀναγινώσκειν* esse statuit, cum grammaticae superiori tres illas partes primas et inferiores et infimas, quas uel descripsimus uel descripturi sumus, adsignaret, eius auctorem lectionis munus grammaticae superiori, quam tractamus, omnino non tribuisse sequitur. Qua cum re consentit, quod in disciplina Taurisci Cratetei, quantum adhuc uidemus, lectioni locus non fuisse uidetur. Huc accedit, quod grammatici antiqui ipsi auctores, quos in scholis tractabant, pueris non praelegerunt, sed id munus adiutoribus explendum reliquerunt, ut Aristarchus Posidonium lectorem habuit.[67]) Ex diuisione igitur tertiae partis grammaticae praelectio eicienda est, ut genuina Sexti et

---

[67]) Cfr. Usenerum l. s. p. 583.

auctoris eius partitione interpretationem, recensionem, iudicium contineri appareat.

Iam lineamenta artis, qua Sextus usus est, adumbrasse et eius partes partiunculasque semper secundum numerum ternarium distinctas esse demonstrasse nobis uidemur. Sexti igitur doctrinam grammaticam et omnes triades triadumque triades ad Asclepiadem auctorem referenda esse maxima cum probabilitate sequitur. Huic de Sexti auctore opinioni alia quoque firmamenta adstrui possunt. Egregie enim accidit, quod ex grammaticis, quos Sextus de grammaticae diuisione copiosius disserens attulit, qui sunt Dionysius Thrax, Ptolemaeus Pindario, Tauriscus Crateteus, nemo post Asclepiadem floruit. Praeterea, quae statuit, non ad Herodiani eius aequalis aetatem quadrant, sed prioribus temporibus apta sunt, quibus ea, quae Apollonius Dyscolus et eius filius digesserunt et ad certa praecepta reuocauerunt, nondum ad illum doctrinae gradum perducta erant. Quae ut accuratius dinoscantur, iam ad singula transeamus, unde aliquid ad nostram sententiam confirmandam redundaturum esse confidimus. Atque tertia pars ad primam secundamque, quae ei materiem ad tractandos auctores praebent, ita pertinet ut Tyrannionis μέρη ad ὄργανα, qui discrepantiam harum partium, quam Asclepiades senserat, melius compositione artis suae expressit, unde ratio, quam inter illos intercedere Usener l. s. p. 591 coniecit, iterum egregie inlustratur, id quod aliis fragmentis artis Asclepiadeae inueniendis iudicio fore spero. Deinde cum primam grammaticae partem constitueret, exemplar Taurisci uel potius Cratetis secutus est, cuius λογικὸν περὶ τὴν λέξιν καὶ τοὺς γραμματικοὺς τρόπους uersabatur, et Tyrannionem quasi sectatorem habuit, qui eam insubsidia grammaticae adsumpsit, cum Dionysii Thracis diuisione, qui analogiae tractationem et etymologiae inuentionem singulas artis partes esse censuerat, nemo ex posterioribus philologis usus esse uideatur. Praeterea pars historica ab omnibus inde a Taurisco usque ad Tyrannionem grammaticae addita est, nisi quod Myrleanus eodem modo atque Dionysius ei glossarum tractationem attribuit, quam ὀργάνῳ γλωσσηματικῷ contineri Tyrannio

constituit. Neque silentio tegere licet, quod tertia pars ab Asclepiade ipso apud Sextum γραμματικόν, a Sexto ἰδιαίτερον uocatur, unde et Asclepiadem a Cratetis partibus, qui peculiare grammaticorum officium ab arte criticorum distinxit,[68]) stetisse et altero p. Chr. n. contentionem illam grauissimam, quae inter Aristarchum et Cratetem efferbuerat, ita exstinctam esse, ut Sextus illud uocabulum mutauerit. Harum partium quoque partes mihi prodere uidentur, quo origine natae sint. Orthographiae enim partes ab Herodiano Sexti aequali quem magis riuulos doctrinae antiquae consectatum esse quam litterarum fontes non detectos aetati suae suppeditasse constat, afferuntur, nisi quod eas nomine εἰδῶν comprehendit, cum Sextus haud scio an aetatis auctoris sui morem secutus eas τρόπους nominet, et pro μερισμῷ, quod, quantum uidi, nullo alio loco ad syllabarum distinctionem significandam usurpatur, σύνταξιν dixit.[69]) Quam uocabuli mutationem propterea commemoratione dignam esse adnotauerim, quod in indice librorum Apollonii Dyscoli patris Herodiani a Suida seruato μερισμός et σύνταξις disertis uerbis distinguuntur, ut Herodianum diuisionem illam antiquitus traditam ita recepisse statuendum sit, ut pro uocabulo μερισμοῦ σύνταξιν poneret, qua uoce tum syllabarum distinctio proprie significata esse uidetur. Quas partes Asclepiades non ipse inuenit, sed singulas ab aliis, ut uidetur, inuentas in artem suam recepit; Dionysius Thrax enim περὶ ποσοτήτων egisse dicitur (schol. A B 111 = M. Schmidt Didymi fragm. p. 112), qua in commentatione de numero litterarum et verborum singulorum scripsisse uidetur, id quod non adnotassem, nisi Baege Diss. Hal. V 144 eum librum in prosodia indaganda uersatum esse statuisset. Atque si ποσοτήτων tractatio Dionysii aetate pars grammaticae fuit, ποιότησι quoque locus in doctrina temporum illorum fuerit necesse est. Neque praecepta de syllabarum distinctione tum defuisse ex eis sequitur, quas Aristarchus

[68]) Cfr. Wachsmuthium l. s. p. 967.

[69]) Cfr. Lentzium Herodiani techn. rel. praef. p. C. sq., P. Egenolffium 'D. orthogr. Stücke d. byz. Litt.' 1888 p. 4 et passim, R. Reitzensteinium l. s. p. 303.

de uocabulis uel coniunctim uel disiunctim scribendis pluribus locis disputauit.[70]) Asclepiades igitur ea, quae maiores singillatim excogitauerant et statuerant, in usum suum conuertit conuersaque ad mirum artis suae ordinem aptauit. Iam ad tertiam partem partis propriae transeundum est. Genuinae puraeque graecitatis leges tres Sexti auctori esse uidemus, quibus Tyrannio quartam ἱστορίαν adiecit.[71]) Nam eam extrinsecus additam neque cum tribus illis, quas enumerauimus, artiore quodam uinculo coniunctam esse inde sequitur, quod apud grammaticos Romanos et Herodianum, qui falso illam quadripartitionem ad orthographiam definiendam adhibuit,[72]) semper quartum locum obtinet et in etym. m. u. φῆις, cuius auctor prauam Herodiani rationem secutus est, si ceteris legibus nihil profici potest, usurpari expressis verbis dicitur. Quoniam igitur ante Tyrannionem hanc partitionem excogitatam esse euicimus, inueniendum est, post quem terminum q. u. composita sit. Atque cum et analogia et anomalia siue consuetudo ad graecitatem definiendam proponantur, doctrina debetur ei aetati, qua cer-

---

[70]) Cfr. Ribbachium De Aristarchi Samothracis arte grammatica 1883 p. 10 sq.

[71]) Coniecturam, quae mihi quidem non inepta uidetur, h. l. subsiciuo studio attulerim. Recta enim consuetudo uerborum duorum ex locis Homeri, Pindari, Xenophontis, i. e. ex historia quarta secundum Tyrannionem graecitatis lege in duobus fragmentis Tryphoniani περὶ ἑλληνισμοῦ libri quinti (ap. Ammon. de diff. up. 40 et 146 U. = fr. 105 et 106 U.) efficitur, cum in duobus aliis fragmentis eius, quae Uelsen probabiliter eidem operi attribuit (ap. Ammon. d. diff. u. p. 140 et. 149 U. = fr. 107 et 108 U.), genuinus uerborum usus secundum solam dialectum Doricam et Atticam i. e. secundum συνήθειαν definitur. En habes ordinem operis Tryphoniani: ut quinto libro uerba, quae, num puro Graecoque sermoni apta essent, ex historia cognoscebatur, tractauit, ita quarto de uerbis ex etymologia percensendis, tertio de uerbis, quorum usus ad normam consuetudinis derigebatur, secundo de uerbis ex analogia iudicandis egit. Quibus praemissus erat liber primus, quo grammaticos, qui antea de graecitate scripserant, percensuit eorumque sententias perstrinxit, id quod saepissime initio operum technicorum factum esse Reitzenstein l. s. p. 302, 1 docuit.

[72]) v. Usenerum l. s. p. 623.

tamen inter Alexandrinos et Pergamenos coortum aliqua ex parte componi coeptum est. Quod primus Ptolemaeus Pindario Aristarchi discipulus leniuisse uidetur, qui analogiam consuetudini ita consociauit, ut originem illius, quae *θεωρία ὁμοίου καὶ ἀνομοίου* esset, a poesi Homerica, qua antiquissima probatissimaque consuetudo repraesentaretur, repetendam esse censeret.[73]) Itaque ab hac quoque parte diuisio a Sexto seruata speciem aetatis, quae post philologiae principes mortuos et ante Tyrannionem fuit, dilucide prae se fert. Neque alia desunt, quae ad hanc aetatis definitionem quadrent. Praeceptum enim analogeticorum, quod Sextus § 222 p. 649, 19/24[74]), singulas graecitatis leges percensens affert, minime doctrinam Herodiani redolet, qui, ut omnia uocabula, quae ei declinanda proposita erant, in certa genera certasque species ita redigeret, ut nihil superesset, littera *παρατελεύτῳ* i. e. consonanti stirpem verbi terminante utebatur.[75]) Quibus, si aetatem spectas, qua orta sunt, similia sunt, quae Sexti auctor obiter de etymologia statuit exemplisque inlustrauit l. s. § 242 p. 653, 23/26: *Τὸ ἐτυμολογίᾳ κρινόμενον ὄνομα, ὅτι ἑλληνικόν ἐστι, ἤτοι ἔτυμα πάντως ἔχειν ὀφείλει τά προηγούμενα αὐτοῦ ὀνόματα ἢ εἴς τινα τῶν φυσικῶς ἀναφωνηθέντων καταλήγειν.* § 243 p. 653, 30—654, 2: *Οἷον εἰ ὁ λύχνος εἴρηται ἀπὸ τοῦ λύειν τό νύχος, ὀφείλομεν μαθεῖν, εἰ καὶ τ' νύχος ἀπ' τινος ἑλληνικοῦ εἴρησα καὶι τοῦτο πάλιν ἀπ' ἄλλου.*

Posterius de etymologia iudicium stoicorum mubratili doctrinae debetur,[76]) quos Sextus saepissime impugnauit; prius antiquam illam rationem etymologiae explicandae a philosophis institutam et excultam prodit, qua nixi grammatici omnia verba ex nescio qua collocatione verborum nonnullorum orta esse docuerunt, dum a Phi-

---

[73]) Cfr. Sextum adn. gramm. §§ 202,3 p. 645, 15/21.

[74]) *Πᾶν ὄνομα ἁπλοῦν, εἰς ῆς λῆγον, ὀξύτονον, τουτὶ ἐξ ἀνάγκης σὺν τῷ σ κατὰ τὴν γενικὴν ἐξενεχθήσεται, οἷον εὐφυής εὐφυοῦς, εὐσεβής εὐσεβοῦς, εὐκλεής εὐκλεοῖς, τοίνυν καὶ τὸ εὐμένης ὀξυτόνως ἐκφερόμενον παραπλησίως τοίτοις διὰ τοῦ ι ἐπὶ τῆς γενικῆς προενεκτέον, εὐμενοῦς λέγοντας.*

[75]) Cfr. Ed. Luebbertium n. Rh. XI. p. 441.

[76]) Cfr. e. g. Originem *κ. Κέλσου* I 24 p. 74, 12 ed Berol.

loxeno aetatis rei publicae liberae, ut videtur, philologo vehementer profligata est[77]) et Neronis imperatoris temporibus sensim sine sensu euanuit.

Hanc totam Sexti doctrinam et aetate, qua orta est, et forma, qua praedita est, Asclepiadeae arti quam animo effinximus, tam similem esse uides, ut nihil obstet, quominus eam e Sexti farragine recuperasse nobis uideamur. Sed iam circumspiciendum est, num alibi quoque artis illius fragmenta lateant, quae in aliquam pristinae ubertatis speciem componi possint. Quorum indolem eandem atque eorum, quas modo percensuimus, esse libenter concedes. Quae si observas, duae *στοιχείου* tripartitiones, quae aetatem tulerunt, occurrunt: unam Stoici statuerunt,[78]) grammatici Latini iterum iterumque attulerunt,[79]) cuius partibus, quae potestas, nomen, figura sunt, Tyrannio, ut quaternarium numerum suum restitueret, *σχῆμα*, quo oris in singulis litteris pronuntiandis collocatio significatur, addidit, ut Asclepiadem eam ex Stoicorum grammatica in suam transtulisse probabiliter concludi possit; altera, secundum quam *στοιχεῖα φωνήεντα, ἡμίφωνα, ἄφωνα* distinguuntur, ab Aristotele l. s. c. 20 p. 1456 b 21 sq. et a Dionysio Halicarnassensi *περὶ συνθέσεως ὀνομάτων* c. 14, quem Aristotelis poetica non usum esse Uahlen Relat. ord. philol. et hist. acad. litt. Uindob. uol. LVI p. 225 demonstrauit, seruata est, cuius partes ab Aristoxeno apud Dionysium l. s. s. et Dionysio Thrace in arte p. 9 sq. U. ita adhibitae sunt, ut *ἡμίφωνα* et *ἄφωνα συμφώνοις*, quae *φωνήεσιν* opposita sunt, subsint. Quam diuisionem usque ad initium aetatis imperatoriae notam fuisse cum statuendum sit, haud improbabile est Asclepiadem eam priori adiecisse, ut eum simili modo primariae partitioni partis historicae secundariam rerum, quae laxiore quodam uinculo cum historia coniunctae sunt, addidisse supra uidimus. Iam ad huius partis notitiam nonnulla afferenda sunt. Glossarum tripartitionem

[77]) Cfr. H. Kleistium De Philoxeni studiis etymologicis p. 41 sq. et Reitzensteinium l. s. p. 179.

[78]) Cfr. Diog. Laert. VII 56.

[79]) Cfr. O. Froehdium 'Anfangsgrde. d. röm. Grammatik' p. 75 sq.

Quintilianus, quem duo fragmenta artificii Asclepiadis seruasse adhuc uidimus, memoriae tradidit I. O. VIII 3, 24: Cum sint autem uerba propria, ficta, translata, propriis dat dignitatem antiquitas .... [30] Fingere, ut primo libro dixi, Graecis magis concessum est, qui sonis etiam quibusdam et affectibus non dubitauerunt nomina aptare etc. ... [38] Translata probari nisi in contextu sermonis non possunt; IX 1, 6: Nec uetera aut translata aut ficta uerba in incipiendo, narrando, argumentando tractabimus.[80]) Verba igitur, quae interpretatione digna sunt, in uetera (ἀρχαῖα), ficta (πεποιημένα), translata (μετενηνεγμένα) diuiduntur. Quibus ex generibus quod ficta uberius explicari possunt, iterum Quintiliano debetur, qui eorum tria genera statuit l. s. VIII 3, 36: Ut iam nobis ponere alia (scil. uerba ficta), quam quae illi rudes homines primique fecerunt, fas non sit, at (1) deriuare, (2) flectere, (3) coniungere, quod natis postea concessum est, quando desiit licere? Ecce habemus uocabula παράγωγα, ξένα[81]), συντεθέντα, quae partitio adeo cum primaria cohaeret, ut ad eundem auctorem referenda esse uideatur. Hac doctrina Tyrannio, cum in γλωσσηματικῷ uocabula ξένα, συντεθέντα, μετενηνεγμένα, πεποιημένα distingueret, nixus esse uidetur, ut ea quoque arti Myrlani probabiliter assignari possit.

Nunc suboritur quaestio difficillima de uocabulo †ὅρων, quod in fine III. fragmenti grammatici legitur. Quod foede corruptum esse Usener cum intellexisset, dubitanter in ἑορτῶν mutauit, quam coniecturam palaeographicis rationibus commendatam te comprobaturum esse spero, si tripartitionem temporum festiuorum, cuius origo ad Asclepiadis aetatem pertinet, inuenero. Talis enim diuisio mihi in Procli chrestomathia grammatica apud Photium biblioth. p. 319, 32 sq. B., p. 243, 14 sq. W. latere uidetur: περὶ δὲ μελικῆς ποιήσεώς φησιν, ὡς πολυμερεστάτη τε καὶ διαφόρους ἔχει

---

80) Eadem fere enarrantur a Seneca ep. 108, 35.

81) Vocabulum flectendi in arte grammatica proprie ad significanda uerba ab alia lingua repetita adhiberi concluserim ex Gellio N. A. IV 3, 3: hoc quoque vocabulum (scil. paelex) e Graeco flexum est.

τομάς. Ἃ μὲν γὰρ αὐτῆς μεμέρισται θεοῖς, ἃ δὲ ἀνθρώποις, [ἃ δὲ θεοῖς καὶ ἀνθρώποις inserui], ἃ δὲ εἰς τὰς προσπιπτούσας περιστάσεις. Καὶ εἰς θεοὺς μὲν ἀναφέρεσθαι ὕμνον, προσόδιον, παιᾶνα, διθύραμβον, νόμον, ἀδωνίδια, ἰόβακχον, ὑπορχήματα· εἰς δὲ ἀνθρώπους ἐγκώμια, ἐπινίκια, σκολιά, ἐρωτικά, ἐπιθαλάμια, ὑμεναίους, σίλλους, θρήνους, ἐπικήδεια· εἰς θεοὺς δὲ καὶ ἀνθρώπους παρθένεια, δαφνηφορικά, [τριποδηφορικά ins. Westphal], ὀσχοφορικά, εὐκτικά· ταῦτα γὰρ εἰς θεοὺς γραφόμενα καὶ ἀνθρώπων περιείληφεν ἐπαίνους. Τὰ δὲ εἰς τὰς προσπιπτούσας περιστάσεις οὐκ ἔστι μὲν εἴδη τῆς μελικῆς, ὑπ᾽ αὐτῶν δὲ τῶν ποιητῶν ἐπικεχείρηται. Τούτων δέ ἐστι πραγματικά, ἐμπορικά, ἀποστολικά, γνωμολογικά, γεωργικά, ἐπισταλτικά.

Melica poesis igitur in carmina diuisa est, quae pertinent 1) ad deos, 2) ad homines, 3) ad deos et homines, 4) ad res, quae occurrunt, quorum generum quartum cum tribus prioribus tam leuiter cohaerere Immisch 'Festschr. f. Th. Gomperz' p. 265 statuit, ut tripartitioni ipsi quartam partem, qua carmina, quae non ad certa tempora festiua referri possunt, continentur, posteriore quadam aetate additam esse sumendum sit. Quodsi Kaibel l s. p. 27 sq. Proclum, cum poesin epicam tractaret, Asclepiadis doctrina usum esse recte comprobauit et praeter eum Zielinski Ephem. philol. 1898 p. 1331 sq. et Immisch l. s. p. 237 sq. ea, quae Proclus de poesis generibus disseruisset, in uniuersum ad studia uirorum doctorum aetatis Alexandrinae referenda esse demonstrauerunt, quadripartitionem quoque et tripartitionem, ex qua illa nata est, eidem aetati deberi uerisimillimum est. Quae cum ita sint, ad nullius disciplinam quadripartitio melius quadrat quam ad artem Tyrannionis, quem quattuor dramaticae poesis genera distinxisse Usener l. s. p. 614 sagacissime enucleauit; neque aptiorem, cui tripartitionem adsignem, inuenio quam Asclepiadem Amiseni auctorem primarium. Sed cum in eius arte neque poesis aut eius generum diuisioni neque metrorum rationi,[82]) quorum descriptionem Tyrannio in

---

[82]) Simili modo Dionysius Thrax in arte sua de metris

subsidiorem seriem receperat, locus certus fuisse uideatur, Asclepiadis diuisionem re uera non ad carmina melica ipsa, sed ad tempora festiua, unde illa originem duxisse grammatici antiqui docuerunt, pertinere proximum a uero est. Quod nihil miri habere concedes, si Herodianum graecitatis normas, quas Tyrannio inuenerat, simili modo ad orthographiam definiendam transtulisse uideris (cf. Usenerum l. s. p. 623).

Deinceps peruenimus ad partem grammaticam, cuius ex partibus altera, quae ad libros edendos pertinet, accuratius describi potest. Enumerantur enim apud Frontonem ep. ad am. II 2 p. 190 N. et apud Suetonium de gramm. c. 24 p. 118 R. illa tria, quae grammatico antiquo libros edenti facienda erant emendare, distinguere, adnotare i. e. *διορθοῦν, διαστέλλειν, σημειοῦσθαι*. Quibus quodsi Usener l. s. s. codicum collationem, quae obiter a Suetonio commemoratur, addendam esse putauit, ut Tyrannionis genera quattuor efficerentur, iterum egregio exemplo rationem quandam inter illarum artes intercedere demonstrari mihi uidetur. Atque cum editori textum q. v. distinguenti prosodiae quoque, si huius uocabuli Graeca significatione uti licet, ponendae essent, earum partitionem tractationi huius partis insertam esse verisimile est, nisi eam inferiori grammaticae, quae ad lectionem pertinet, adsignare mauis. Eas enim ad spiritus, accentus, tempora designanda destinatas esse a Sexto, quem inprimis doctrinam Asclepiadeam seruasse uidimus, § 113 p. 624, 10 sq. traditum est, cui testimonio Uarronis sententia accedit, quem, cum de sermone Latino ageret, fr. 55 W. uoces sicut corpora tres distantias i. e. tempora, accentus, spiritus habere docuisse Usener l. s. p. 603 monuit.

Quam prosodiae tripartitionem quis ante Uarronem et post Aristotelem, qui hoc uocabulum ad spiritus et accentus designandos usurpauit, inuenerit, dici nequit. Sed Graecum quendam eam statuisse cum Alexandrinorum aetate arte libros edendi aucta et emendata prosodias

---

non egit; nam eius *ποιητικοὺς τρόπους* (p. 5, 5 Uhl.) recte a scholiasta p. 13, 19 sq. H. explicatos esse Steinthal l. s. II² p. 182 monuit.

quoque exсultas esse necesse sit, uerisimillimum est. Qua ex tripartitione Tyrannionem profectum *πάθεσιν* additis quattuor prosodiarum genera effecisse, quae diuisio prioris memoriam fere deleuisset et postea maxime percrebruisset, Usener l. s. p. 60 sq. paucis demonstrauit. Facillime igitur adducimur, ut Asclepiadem illam triadem si minus a se, tamen ab alio quodam grammatico inuentam in disciplinam suam recepisse sumamus.

Ecce iterum ad partes uocata est grammatici ars, quae quidem adumbrari, non exprimi possit. Iam ad alteram illius operis partem progrediendum est, qua inde a sexto libro litterarum historiam, si libri inscriptioni fides est, enarrasse uidetur. Quae exstant fragmenta, exscripsi paucisque inlustravi:

VI. Suidas u. *Ὀρφεύς* = Hesych. Mil. onomatol. p 157, 7 sq. Fl.: *Ὀρφεὺς Κροτωνιάτης ἐποποιός, ὃν Πεισιστράτῳ συνεῖναι τῷ τυράννῳ Ἀσκληπιάδης φησὶν ἐν τῷ ἕκτῳ βιβλίῳ τῶν γραμματικῶν. Δεκαετηρίδα* (A, *Δεκαετηρίας* E), *Ἀργοναυτικὰ καὶ ἄλλα τινά.* Haec cum eis, quae de studiis Homericis Pisistrateae aetatis in Joannis Tzetzae *περὶ κωμῳδίας* prolegomenis narrantur, qui ampliore quam, quae nunc exstat, recensione scholiorum in Dionysium Thracem conscriptorum usus est, ita cohaerere, ut ab eodem auctore repetenda sint, Kaibel l. s. p. 27 coniecit; Asclepiadem igitur post Dieuchidam Megarensem[83]) primum testem curarum Homericarum Pisistrati esse statuendum est. Neque uero accuratius definiri potest quatenus a Tzetza uel potius a scholiastis artis Dionysii Thracis eius auctoribus adhibitus sit.

VII. Achillis vita Arati 76, 4 sq. M. = p. 52, 5 sq. W.: *Ἀσκληπιάδης δὲ ὁ Μυρλεανὸς ἐν τῷ ιά περὶ γραμματικῶν Ταρσέα φησὶν αὐτὸν γεγονέναι, ἀλλ' οὐ Σολέα Καλλιμάχου πολυΐστρος ἀνδρὸς καὶ ἀξιοπίστου Σολέα λέγοντος αὐτὸν γεγονέναι διὰ τούτων* (Anth. Pal. IX, 507 = ep. 27 Wil.).

ἀλλ' ὀκνέω μὴ τὸ μελιχρότατον
τῶν ἐπέων ὁ Σολεὺς ἀπεμάξατο.

Aratum igitur secundum Asclepiadem Tarsensem, secundum

[83]) Cfr. Ritschelium Opusc. I, p. 53 sq. et Wilamotzium 'Hom. Unters.' p. 239 sq.

Callimachum et ceteros fere omnes auctores Solensem esse Achilles inuenit, quorum instar nunc tres illae praeter Achillea muitae (p. 56, 1 W., p. 57, 2 W. = p. 146, 6 M.; p. 59, 2 W.), quas ad unum auctorem referendas esse Breysig Arati genus 1870 p. 28 sq. docuit, Strabo XIII p. 671 C., Suidas u. Ἄρατος sunt, qui, quos auctores secuti sint, iam non constat. Qua in controversia Achilles ab horum partibus Callimachi loco nixus stetit, quo de patria Arati agitur neque uero expressis uerbis narratur, ubi natus sit, id quod Asclepiades significauit. Neque igitur satis apto testimonio Achilles opinionem suam fulsit, ut ei subdiffidere liceat. Neque ceterorum consensu quidquam effici uidetur, quoniam, si hoc ex eorum silentio concludere licet, illam de urbe, in qua ille natus est, quaestionem non uidentur curasse, sed eam urbem, cuius ciuis, cum floreret, erat, patriam eius nominare satis habuerunt. Quae cum ita sint, bene accidit, quod similem de Chrysippi philosophi patria disceptationem scriptorum antiquorum esse Wilamowitz 'Antigonos v. Karystos' p. 111, 18 uidit. Qui et Tarsensis [84]) et Solensis [85]) fuisse dicitur, cum secundum Strabonem XIV p. 671 C. eius pater Tarsi natus Solos emigrauerit. Iam si considerabis Chrysippum inter annos 281/277 [86]) et Aratum inter annos 315/305 [87]) natos esse, hunc et illius patrem fere aequales esse concedes. Utrumque igitur iuuenem uel puerum ex urbe Tarso, quae, cum ad uiam, quae ex interiore Asiae parte ad Asiam minorem est, sita esset, illa aetate, qua Alexandri successores per totum fore orbem terrarum belligerabant, saepissime ab exercitibus hinc illinc profectis occupata et oppressa est, Solos oppidum uicinum emigrasse conicere licet, ut Asclepiadis testimonium summa fide dignum esse probabiliter affirmari possit.

VIII. Suidas u. *Πολέμων Εὐηγέτου Ἰλιεύς* = Hesych. Mil. onomatol. p. 172, 21 sq. Fl.: *γέγονε δὲ κατὰ Πτολεμαῖον τὸν Ἐπιφανῆ, κατὰ δὲ Ἀσκληπιάδην τὸν*

---

84) Cfr. Alex. Polyh. ap. Diog. Laert. VII 179, Suidam v. *Ζήνων Διοσκ.* et *Χρύσιππος*.

85) Cfr. Strabon. XIV. p. 671 C et Suidam s. v. *Χρύσιππος* etc.

86) Cfr. Joannem ab Arnim ap. Wissowam III p. 2502.

87) Cfr. Knaackium ap. Wissowam II p. 391.

Μυρλεανὸν συνεχρόνισεν Ἀριστοφάνει τῷ γραμματικῷ. Quisquis Asclepiadis opere usus Polemonem Aristophanis Byzantii aequalem esse huic uitae addidit, eum et Ptolemaeum Epiphanem eadem aetate floruisse negauit, cum, si ueram rei rationem exigis, Aristophanis *ἀκμὴν* et regis aetatem in idem tempus incidere Suidas quoque u. *Ἀριστοφάνης Βυζ.* tradiderit. Neque igitur Asclepiadem primarium auctorem, sed occasione, ut ei uidebatur, oblata ad uitam adoruandam adhibuit.

His ex locis profectus primum Rohde mus. Rh. XXXIII p. 167, 3 = Kl. Schr. I p. 121, 3 Asclepiadem alibi quoque, ubi eius nomen iam non exstaret, ab Hesychio adhibitum esse suspicatus est, deinde Daub l. s. XI p. 457 sq. eum primarium et splendidum Hesychii auctorem in uitis grammaticorum, qui ante Augusti aetatem floruissent, summa cum probabilitate indagasse sibi uisus est. Quod ne temere credas, multa impediunt. Neque enim habemus, quod Asclepiadem usque ad Augusti tempora fuisse sumamus, cum eum Pompei aetate Romae littera docuisse supra commemorauerimus. Neque notationes et vitae grammaticorum, qui ante initium imperatoriae aetatis floruerunt, aliter comparatae sunt quam eorum, qui postea fuerunt,[88]) ut ad unum auctorem omnes probabilius referendae sint. Praeterea ex eis glossis, quas Daub Asclepiadi uindicauit, Rhiani, Alexandri Milesii, Tyrannionis maioris vitae rectius a Wachsmuthio Symb. philol. Bonn. p. 140 sq. Hermippi Berytii *περὶ τῶν ἐν παιδείᾳ διαλαμψάντων δούλων* operi adsignatae sunt. Neque omnino Tyrannionis, Demetrii Ixionis, Tryphonis uitas componere potuit, cum illi eo aetate minores essent. Cautius igitur procedendum est. Quae ex Asclepiadis opere hausta frgm. VI. leguntur, magis addidamento, quod auctori obiter adhibito debetur, quam uerbis primarii scriptoris allatis similia sunt, id quod eodem modo frgm. VIII. accidisse supra monuimus. Praeterea mirum est, quod uel leuissimum opinionis Asclepiadis uestigium apud Suidam u. *Ἄρατος* desideratur.

[88]) Cfr. e. g. uitas a Daubio l. s. p. 457 enumeratas et Suidam u. *Ἀπίων, Ἀντέρως ὁ καὶ Ἀπολλώνιος, Διονύσιος, Ἀλεξανδρεύς, Ἐπαφρόδιτος Χαιρωνεύς, Ἡρακλείδης Ποντικός.*

Neque igitur principatum inter Hesychii auctores obtinet, sed auctoribus secundas uel tertias partes obtinentibus inserendus est; atque sane plura quam nunc definiri potest eius fragmenta in colluvie onomatologi Hesychiani latent, quae utinam aliquando certioribus indiciis agnoscantur.

Erat igitur totum opus ita compositum, ut priore parte, quae usque ad quartum uel quintum librum pertinebat, grammatica ipsa tractaretur et divideretur atque artis praecepta explicarentur, posteriore parte inde a sexto libro,[89]) in quo Orpheus vir aetatis Pisistrateae commemorabatur, temporis, ut uidetur, ordine seruato grammatici clarrissimi eorumque studia et opera copiosissime percenserentur, atque inscribebatur ei *Γραμματικά*, id quod inde facillime efficitur, quod frgm. III. *περὶ γραμματικῆς*, frgm. VI. *ἐν τῷ ἕκτῳ βιβλίῳ τῶν γραμματικῶν*, frgm. VII. *ἐν τῷ ιά περὶ γραμματικῶν* legitur, quae discrepantia inscriptionis operis, cuicumque neglegentia antiquorum in citandis libris nota est, non mira esse uidetur.

Breuiter denique de cognominibus non nullis Asclepiadis, quorum libri interdum a viris doctis cum operibus Myrleani confusi sunt, disserendum est.

Atque primum quidem in penu scholiorum ad Pindari carmina conscriptorum tribus locis *Τραγῳδουμένων* Asclepiadis Tragilensis, quibus de historia fabulari agitur (sch. Pyth. II 39. IV 313. Nem. VII 62), complures solum Asclepiades nomen ceteris notis omissis prae se ferentes accedunt, quos Boeckh in editione Pindari II p. XV Tragilensi adsignandos esse putauit, quem A. Hillscher apud Susemihlium II p. 19, 100 secutus est, nisi quod schol. Nem. II 19 ab Asclepiade illo, qui Didymi aduersarius fuit (v. infra p. 48), repetiuit. Contra Lehrs l. s. p. 447 et Wentzel l. s. p. 1630 in medio relinquendum esse censuerunt, utrum haec Myrleano deberentur necne. Quae scholia si accuratius perlustrantur, facile in duo genera discedunt. Atque

---

[89]) Iam uides ea prorsus concidere, quae Knaack apud Susemihlium l. s. II p. 18, 96 coniecit.

altero quidem loci continentur, qui de fabulis a Pindaro commemoratis sunt et eundem semper colorem prae se ferunt: schol. Ol. III 22. VII 24. Pyth. III 14. IV 18. 35. 61. Atque cum schol. Pyth. III 14[90]) et IV 35 Hesiodus afferatur, ad Tragilensum potissimum omnia rettuleris eiusque fragmentis, quae apud C. Muellerum F H G III p. 298 sq. exstant, addideris, qui in opere suo non tragoediarum argumenta, sed historiam fabularem, qualis post longas epicorum, lyricorum, tragicorum curas ex pristina simplicitatis specie mutata erat, Pherecyde poetisque et deorum cultus testimoniis adhibitis exposuit.[91]) Alterum scholiorum genus ita comparatum est, ut, cum de personis eorum, quibus carmina scripta sunt, agatur (schol. Nem. II 19. VI in. Isthm. II in) et loci subdifficiles explicentur (schol. Ol. VI 26.[92]) VIII 28) uel corrigantur (schol. Ol. VIII 10), speciem commentarii carminum prae se ferant. Qui commentator qua aetate uixerit, inde non improbabiliter licet concludere, quod schol. Nem. II 19 post Aristarchum et ante Didymum affertur et schol. Pyth. IV 18 eius et Chaeridis sententiae opponuntur. Inter Aristarchum igitur et Didymum uidetur fuisse. Neque uero potest diiudicari, num Myrleanus fuerit. Eodem enim iure de Asclepiade Alexandrino, quem Didymus impugnauit (cf. Wentzelium l. s. p. 1631 n. 29) uel de commentatore Aristophanis uel de alio quodam grammatico cognomini licet cogitare.

Tum in scholiis Aristophaneis sexiens Asclepiades quidam patria non indicata ad tragoedias significandas, quas Aristophanes in risus deflexit, affertur (schol. ran. 1270. 1276. 1331. 1344.[93]) aues 348), quos locos eidem

---

[90]) Poetae Ascraei nomen supplendum esse Boeck uidit, quae coniectura rebus a Pausania II 26, 7 narratis fulcitur.

[91]) Cfr. Wilamowitzium Anal. Eurip. 181, 3, Bethium 'Theb. Heldenl'. p. 51, 12, Wentzelium l. s. p. 1628.

[92]) Cfr. Wilamowitzium 'Isyllos' p. 163, 4.

[93]) E. Bruhn 'Eurip. Bakchen', p. 28 hoc scholio usus Asclepiadem fide dignum esse leuiter negauit, quod Aeschyli fragmentum ab eo seruatum cum Xanthriis tragoedia, qualem sibi ipse animo effinxerat, consociare non potuit; immo uero eum diligentissimum fuisse inde sequitur, quod ipsis Athenis

Asclepiadi deberi, qui apud Hesychium u. *Κολακοφορο-κλείδης* laudatur, recte Lehrs l. s. p. 446 monuit. Praeterea schol. nub. 37, ubi de voce *δήμαρχος* agitur, Asclepiades quidam Alexandrinus citatur, quem eundem atque commentatorem *Ἀξόνων* Solonis (u. etym. m. 547, 45 adn.) a Didymo impugnatum (u. Plut. Sol. 1) esse probabiliter Wentzel l. s. p. 1631 n. 29 coniecit. Quae cum ita sint, quaeritur, num Alexandrinus idem sit atque is, quem de tragoediis ab Aristophane irrisis docuisse uidimus, id quod Susemihl l. s. II p. 19, 98 statuit, Wentzel l. s. n. 30 negauit. Neque haec sententia prorsus improbabilis est, cum eius opinio pòst opiniones Aristarchi, Apollonii, Timachidis, qui fortasse saeculo a. Chr. n. secundo uel primo[94]) certe ante Ouidii aetatem[95]) fuit, enarretur, ut eisdem temporibus floruisse putandus sit, quibus facile Didymi aduersarium attribueris. Neque uero haec Aristophanea ad Myrleanum referri possunt; uam ea minime rationem et indolem commentariorum Myrleani redolere iam dudum a uiris doctis cognitum est.

Praeterea Asclepiades quidam de Thessalis mulieribus, quae lunae defectus praenoscentes se eam de caelo detracturas esse profiterentur, in prov. Bodl. 374 ap. Leutschium Paroemiogr. Gr. I ad Zen. IV 1 scripsisse dicitur: *Ἐπὶ σαυτῷ τὴν σελήνην καθαιρεῖς· Ἀσκληπιάδης φησὶ τὰς Θετταλὰς ἐκμαθούσας τὰς τῆς σελήνης κινήσεις προαγγέλλειν, ὡς ὑπ᾽ αὐτῶν μέλλοι κατάγεσθαι, τοῦτο δὲ πράττειν οὐ χωρὶς τῆς αὐτῶν κακώσεως· ἢ γὰρ καταθύειν τῶν τέκνων ἢ τὸν ἕτερον τῶν ὀφθαλμῶν ἀπολλύειν· λέγεται γοῦν ἐπὶ τῶν κακὰ πορίζομένων· Δοῦρις δέ φησιν ἀστρόλόγον προαγορεύοντα τὰς τῆς σελήνης ἐκλείψεις οὐκ εὖ ἀπαλλάξαι*[96]).

Quae Wentzel cum Tragodumenis abroganda esse censeret, dubitauit, utrum ea Myrleano attribueret nec

---

uetera tragoediarum exemplaria quaesiuit et euoluit. Parem in commentariis scribendis accurationem cognominis Pindari commentator schol. Ol. VI 26 praestat, qui ad uersum quendam explicandum Thebaidem cyclicam euoluit, ut eum eundem atque Aristophaneum esse fortasse recte conicias.

[94]) Cfr. Susemihlium l. s. II, p. 188.

[95]) Cfr. Wilamowitzium 'Herakles' I[1] p. 147.

[96]) Eadem fere leguntur schol. Apoll. Rhod. Argon. IV 59.

ne, quam sententiam minime laudauerim. Nam, quia illa fabula saeculo quinto quartoue notissima erat et Asclepiades cum Duride aetatis hellenisticae ineuntis scriptore collocatur, aptissime de Tragilensi hic illic in corpore paroemiographorum (Apost. X 65, Mant. prov. I 44) allato cogitari potest, quem haec in Tragodumenis enarrasse C. Mueller F H G III p. 306 recte sumpsit.

Prorsus postremo nescio, quid Myrleani *περὶ Κρατίνου* liber, quem Susemihl l. s. II p. 19 Athenaei loco XI p. 501 nixus animo sibi finxit, sibi uelit, quoniam ante eum Kaibel, cum Athenaeum ederet, post *περὶ* et ante *Κρατίνου* lacunam hiare satis apte coniecit: *Ὁ δὲ Μυρλεανὸς Ἀσκληπιάδης ἐν τοῖς περὶ* [*τῆς Νεστορίδος· αἱ φιάλαι ὑπὸ* suppl. Kaibel] *Κρατίνου βαλανειόμφαλοι, φησίν, λέγονται, ὅτι οἱ ὀμφαλοὶ αὐτῶν καί τῶν βαλανείων οἱ θόλοι ὅμοιοί εἰσιν.*

Cum campum longum et pulueris plenum emensus tandem sudans ad metam peruenerim, in universum de Asclepiade iudicandum est.[97]) Natus igitur Myrleae, quod Bithyniae oppidum proxime Pergamo erat, et, cum esset iuuenis, Alexandriae sub Ptolemaeo VIII. rege philologo uersatus est, ut non mirum sit, quod et Pergamenorum et Alexandrinorum disciplinae multum apud eum ualuerunt. Nam eum Crateteos secutum, cum artem philologorum diuideret, peculiarem partem grammaticam constituisse supra monuimus. Deinde eorum auctoritas inde optime cognoscitur, quod sua doctrina, non poetae uerbis usus carmina Homeri miris ingenii artificiis explicauit et ea non ad *ψυχαγωγίαν*, sed ad *διδασκαλίαν* legentium composita esse uoluit. Eum enim sectatorem subtilitatum astronomicarum, non poetam aetatis simplicitatis plenissimae ita sibi animo effinxit, ut Cratetis fidelis discipulus esse uideatur. Qua de causa in Arato quoque explicando studia sua posuisse uidetur. Neque a Pergamenis absonum est, quod diligentissimam operam in studiis geographicis collocauit atque de patria sua et de Turdetania, ubi artem pro-

---

[97]) Cfr. Lehrsium l. s. p. 434, Wachsmuthium l. s. p. 6,4, Sengebuschium Dissert. Hom. pr. p. 61.

fessus est, copiose scripsit. Quas ad res optime quadrat, quod uaria doctrina ornatus de sphaera barbarica scripsit. Neque uero prorsus in eorum uerba iurabat. Multa enim eum Alexandrini quoque docuerunt. Atque cum linguam non prorsus hominum consuetudine uel licentia teneri sibi persuasisset, ad graecitatem definiendam et analogia, quam Aristarchei secuti sunt, et anomalia, quam Cratetei sibi proposuerunt, opus esse credidit. Recte igitur Usener l. s. p. 590 eum medium inter duas illos disciplinas locum tenere obiter significauit. Neque frustra ita rem egit; nam ut ipse multum ab Aristarchea arte Dionysii didicit, quamquam eum uehementissime impugnauit, sic Tyrannio Aristarcheus eius grammaticae artificium aliquatenus sedulo imitandum sibi ita proposuit, ut eum Alexandrinis philologis non displicuisse colligendum sit. Denique eum, si uera cum uerisimilibus miscere licet, ut philologorum saepe est, in Aegypto eis studiis uacasse suspicatus sim, quibus incitatus de sphaera barbarica librum composuit, quo, si recte A. Swoboda P. Nigidii Figuli op. rel. p. 48 uidit, apotelesmatum obseruatio, quibus sphaera continetur, Aegyptiorum propria erat. Neutri igitur disciplinae se adscripsit. Neque enim eum in Pergamenorum castris fuisse Kaibel l. s. p. 25, 2 inde effecit, quod Cratetem ipsum apud Athen. XI p. 490e non leniter tetigit et eum *τὸν κριτικόν* nominauit. Neque omnino satis multa Alexandrinae doctrinae uestigia in eius libris exstant, ut Aristarcheus appellari potuerit; immo uero maximam partem Crateteus fuit neque uero nominari uoluit, quia Aristarchi rationem et scientiam nonnullis locis suum ad usum conuertit.

In calce libelli quia alibi apte fieri non poterat, gratias meritas ago C. Kalbfleischio et E. Webero, qui Wachsmuthio et Immischio intercedentibus me maxima benignitate de nonnullis Sexti lectionibus certiorem fecerunt.

Uita.

Bruno Albinus Mueller Brunonis Albini f. matre Anna Lauretta e gente Rother, fidei evangelicae natus sum Dresdae a. d. VIII. Kal. Sept. anni proximi saeculi LXXIX. Puerulum VI annorum, cum matre, cuius memoriam semper pio gratoque animo colam, orbatus essem, pater in ludum misit, ut litterarum elementis imbuerer. Ibi octo annos uersatus gymnasii realis, quod ab Anna uxore Augusti electoris Saxoniae nomen habet, discipulus per tres annos Oertelio regnante fui, ubi me praeter ceteros doctores inprimis Joannem Lohmannum mathematicum magistrum egregium nactum esse non obliuiscar. Postea per biennium inde a uere anni LXXXXVII. in gymnasio Wettiniano egregia disciplina usus sum O. Meltzeri, Arm. Dungeri, Fr. Polandi aliorumque uirorum doctorum, quorum benignitatis, qua in me erant, semper memor erit animus. Tum dimissus hanc litterarum sedem adii. Atque beanus quidem magis multa quam multum tractaui, postea praecipue philologiae Graecae Romanaeque et archaeologiae operam nauaui. Docuerunt me uiri praeclarissimi: Brugmann, Buchholz, Cichorius, Heinze, Immisch, Koetzschke, Lamprecht, Lipsius, Martini, Marcks, Marx, Schiller (†), Seeliger, Sievers, Steindorff, Studniczka, Wachsmuth. Ut in proseminario et in seminario philologorum essem, Immischii, Lipsii, Martinii, Marxii, Wachsmuthii benevolentia factum est ibique per quinquies sex menses disputationibus sodalis ordinarius interfui. Tum benigne Studniczka me sodalibus seminarii archaeologici, cui praeest, inde a uere anni MCM. adscripsit. Deinde, quomodo in studiis litterarum Germanicarum procedendum esset, quoad per tempus

fieri potuit, in proseminario Germanico Elster et Sievers aperuerunt. Postea in seminariis historico et geogr.-historico me Berger, Brandenburg, Buchholz, Lamprecht, Marcks, Seeliger, Wachsmuth in cognoscenda et investiganda historia iterum iterumque exercuerunt. Nunc ad seminarium paedagogicum Jungmann me admisit. Denique exercitationibus archaeologicis et philologis, quas instituerunt Hauck, Martini, Marx, Schreiber, Sommer, interfui.

Quibus uiris cum omnibus tum Wachsmuthio et Studniczkae Immischioque, Lipsio et Marxio et Martinio pro variis multisque erga me meritis gratias nunc ago maximas, etiam maiores semper habebo.

Denique non possum, quin et praesidibus et custodibus bibliothecae Lipsiensis et Dresdensis et musei philologi universitatis iustas et debitas gratias agam, quorum liberalitate mihi maxima librorum copia uti licuit.